

DE PRIMATV  
SENATORIO  
Regni Poloniae.

*Ill<sup>mi</sup> ac R<sup>mi</sup> in Christo Patris & Domini,*  
D. STANISLAI KARNKOVSKI,  
Archiepiscopi Gnesnensis, L. N.  
eiusdem Regni Primatis, primiq;  
Principis,

TRACTATIO.


Cui adiuncta est, eiusdem Auctoris; DE RATIONE  
ELIGENDORVM REGVM POLONIAE,  
EPISTOLA.

Item, eiusdem PANEGYRICVS, non dissimilis  
argumenti, ad Henricum Valefium,  
Poloniae Regem desi-  
gnatum.

POSNANIAE,  
*Anno Domini, M. D. XCIII.*

STANISLAVS  
KARNKOVSKI,

Dei Gratia, Archiepiscopus Gnesnensis,  
Legatus Natus, Regni Poloniæ Primas,  
& primus Princeps,  
BENIGNO LECTORI.

 *Um in omnibus iis rebus, quæ usquam de  
Repub. nostra tractantur, nequaquam sa-  
tis de recta Regum electione, interregniq;  
modo, ratio sit explicata: visum est mihi experientia  
edocto, & tribus interregnis exercito, ea in re Patria  
consulere. Et quamuis non pauca in eo genere alicu-  
bi reperiantur; tamen de eo quod caput est, & in quo  
tanquam in cardine negotium vertitur, nempe de  
Præside & moderatore publici consilij, nullus, quod  
ego sciam, scripsit. Quamobrem cui hoc ex ipsa origi-  
ne Reipub. nostra competat, hic docemus. Quoniam  
verò in Epistola ad Cromerum, & in Panegyrico  
Henrici, sententiam nostram aperuimus, de ratione  
eligendi Regis, iussimus ea hic at texere, ut cognosce-  
re possis, quid te ea in re sequi oporteat. Vale.*

DE PRI-

DE PRIMATV SENATORIO  
Regni Poloniæ.



Isceptatio de primatu Regni, eo consilio, vt ego arbitrator, suscipitur: vt sciatur; vtrum vnus sit è numero Senatorum aliquis, legum præscriptis, & auctoritate publica ad hoc constitutus, vt post mortem Regis, in ordine publici consilii, & progressu electionis, non modò Equestri ordini, verumetiam cæteris Senatoribus præeat. Deinde, si eam auctoritatem non pluribus, sed vni, eiq̃ue Ordinis Senatorii, attributam esse constet, quisnam is è Corona Senatorum habendus sit, cui potestas illa iure conueniat. Res est, vt grauissima, ita cognitu maximè necessaria: quòd hac eminentia sublata, aut conuulsa, Regnum turbari, aut euerti necesse esse videatur. Ea tamen dubitatio, facillè fortassis ex animis hominum eximi poterit, si rem ipsam recta via & ratione cõsiderauerimus. Ita sanè iam inde ab initio constituta est Respub. nostra; vt vnus Principatu contineatur. Neque verò is hæreditarius est; sed is demùm rerum potitur & regnat, quem ipsa sibi Respub. liberrimis Ordinum suffragiis creauerit siue elegerit: eiq̃ adiunxit ea Consiliarios, quasi socios, quorum is consiliis in administrando Regno & grauioribus quibusq̃ actionibus nitatur. Penes hos etiam, defuncto Rege, & in interregno, manet summa rerum, curaq̃ue & prouidentia

4  
de subrogando alio. Hi Conuentui ad eligendum nouum Regem locum diemque præstituunt. Quod Lex difertè præscribit:

## Verba Legis.

*Decedentibus Regibus & Regno vacante, Domini Consiliarij Status utriusq<sub>3</sub>, capto inuicem mutuo Consilio, secundum veterem & antiquum morem consuetudinemq<sub>3</sub> & Statuta Regni, Conuentum ad eligendum nouum Regem indicant, illumq<sub>3</sub> omnibus membris & Ordinibus Regni tempore denunciant.*

Quamuis autem sint Magistratus in Repub. cum potestate, sit Equester Ordo firmamentum eius: tamen Lex, veteri & antiquo mori & consuetudini statutisq<sub>3</sub> innitens, solis Consiliariis eam potestatem constituendi de eo Conuentu, cumque omnibus alijs membris & ordinibus denunciandi, quò conuenire ij debeant, attribuit. Nihil in eo Equestrem ordinem, nihil Magistratus, nihil quenquam alium commune habere voluit cum Senatu. Consiliariis siue Senatoribus hic honos datus est, siue quòd sint seniores dignitate & eminentia, & iurati; siue quia facilius est congressus pauciorum Senatorum, quam omnium ordinum. Ab iis verò, nempè Consiliariis, illum Conuentum reliquis omnibus membris & Ordinibus vult iudici. Poterat lege certus locus & tempus præfigi eligendo Regi: sed hoc non est visum expedire Reipub. propter incertos & dubios euentus, ne fortè id contingeret, quod Scriptura sacra di-

era dicit; Vbi sit cadauer, ibi congregari solere aquilas. Pre-  
 menda igitur hæc potius silentio, & arbitrio Senatus com-  
 mittenda, quam in tabulas referenda, & omnibus euul-  
 ganda maiores prudentissimè iudicarunt. Quibus autem  
 Senatoribus eam Lex potestatem facit, siue onus id imponit?  
 Num Solis Palatinis, aut Castellanis, aut, vt vocant,  
 Officialibus? Non. Sed aperte; *Vtriusque status*, nempe,  
 Ecclesiastici & Secularis, Consiliariis. Simul autè ostendit,  
 qua ratione & ad quem modum hoc fieri debeat:  
*Capto*, inquit, *inuicem mutuo consilio*. Itaq; Lex con-  
 gressum Consiliariorum requirit. Quomodo enim aliter  
 inter eos, per maxima locorum interualla disinctos, con-  
 ueniret? Num terni, vel quaterni, vel etiam deni, aut vi-  
 ceni, suo quique arbitrato eum Conuentum indicent? Ni-  
 hil perturbatius, & non modò ad seditionem, verumetiam  
 ad bellum ciuile accommodatius. Igitur conuenire oportet  
 Consiliarios. Vbi autem & quomodo ij conuenient, nisi  
 ab aliquo ad certum aliquem locum diemq; conuocati aut  
 vtrò accurrentes? Aut quomodo expedient rem concorditer,  
 nisi ab vno aliquo in consilium mittantur, & nisi aliquis  
 eis præsideat, consiliis moderetur, & cætera ad rem  
 pertinentia dirigat? Quid verò? In ipsa Electione qui esset  
 ordo? quæ consensio Consiliariorum? quid non plenum  
 contentionum, iurgiorum, tumultuum, nisi vnus non modò  
 Senatui; sed cum eo pariter cæteris Ordinibus & orbe  
 Reipub. placidè & clementer moderetur? Mala est, ait sa-  
 piens Philosophus, & ante eum præstantissimus Poëta, plu-  
 ralitas Principum. Quin natura clamat, ordo exposcit, di-  
 ctat ratio, vsus & experientia rerum probat, ad hoc; vt sit

ordinata multitudo, & tollantur schismata seu factiones in consilio, necesse esse, vt vnus sit, qui omnibus præsit. Qualis enim ea esset Respub. in qua non sit vnus, qui cæteris antecellat? Culicum certè vel pullicum, vel graculorum duntaxat. Tolle ex auibus, ex armentis, ex omni genere animalium ducem, grex statim turbatur: & capite præciso, reliqua membra concidunt. Sit ergo vnus, vt in Regno Princeps; ita in interregno Primas & moderator consilij & Reipublicæ. Verùm hoc facilè quisque, cordatus præsertim, vt existimo, concesserit. Illud magis controuersum est; quis è numero Senatorum Primas huiusmodi sit agnoscendus. Has enim partes alij tribuunt Supremo Marschalco Regni; alij Cancellario Maiori; alij Castellano Craouiensi; alij totam eam rationem permittunt arbitrio vniuersorum, vt post obitum Regis, vnum aut alterum eligant, qui sint directores consilij publici. Quarum opinionum hæc postrema, cum planè absurda sit, ne refutanda quidem in præsentem esse nobis videtur. Serum sanè & præposterum esset hoc præsidium. Trium autem priorum error, vt euidentius agnoscatur, Leges ipsas, quibus illorum Senatorum officia definita sunt, expendamus.

## Verba Legis, De officio Marschalcorum.

*Officium Marschalci Regni, & Marschalci Curia, siue vterque, siue alter eorum esset in Curia, debet esse*

bet esse omnium ceremoniarum, & aula Regia magister. Aulicos conscribant, stipendia solvant, registra teneant, diligentes & negligentes sciant, inobedientes à Curia arceant.

Hospites & Consiliarios Regni excipiant. Attendant, ut debitus cuique honor, ex parte Maiestatis Regie, iuxta meritum persona impendatur.

Scandala & excessus aut moderentur, aut eliminent, aut emendent, animaduersione iuxta meritum aut demeritum adhibita.

Ea verò omnia, qua meliore conditione possunt, faciant, idq; cum consensu & auctoritate Maiestatis Regie.

Quoniam verò ea officia sunt indifferentia, Marschalcus Regni, presens in Curia, sciente Marschalco Curie, omnia officio suo incumbentia exequetur.

Recedens à Curia Marschalcus maior, minori Registra & administrationem officij tradet. In quo Maior, dum fuerit presens, summam auctoritatem, ad omnia iam dicta, habebit: Eo verò absente, penes Minorem, eadem sit auctoritas.

Ratione administrationis officij, Marschalco praesenti

*senti, adscribitur perceptio foralium, & auctoritas imponendi pretii rerum venalium. De foro tamen Campestri foralia Campiductori generali reseruat. Quae tamen foralia moderatè & iuxta locorum consuetudinem, percipiet.*

*Quod si Marschalcus in precio rerum & foraliũ modum excedat, habebunt facultatem Consiliarij, in Curia praesentes, illud moderandi, sibi quoq; praecipendi. Quibus si Marschalcus parere noluerit, extunc tanquam inobediens, ad communem auctoritatem consilij generalis, proximè futuram, deferatur.*

## De Cancellariorum officiis.

*Cancellarii & Vicecancellarii officia, auctoritate, executione, expeditione, & consuetudine censentur esse copulata & paria.*

*Episcopatum vel dignitatem naeti, officio cedat.*

*Literas sibi & iuri contrarias non extradant.*

*A donationibus & inscriptionibus bonorũ cuiquã contra Constitutiones Regni dandis abstineant.*

*Litera iuri contraria intelliguntur; Inhibitiones ad iu-*



*ad iudicia, absq; necessitate Reipub. Item; Commissiones inter personas: nisi granicierum diuisionis, vel de consensu partium essent. Item; Liberationes ab expeditione bellica.*

Ex his Legum verbis planum est, quàm circumscripta & certis cancellis coarctata sit Marschalcorum & Cancellariorum potestas: ad quos vsus & actus hæc officia sint destinata; & quatenus se extendant. Si ea, quæ ab eis agenda sunt, ponderes; inuenies, hæc officia operæ, obsequii, & ministerii plus quàm dignitatis habere. Nam quod attinet regimen aulae, Marschalci, eodemque modo Cancellarii, absque voluntate Regis nihil faciunt. Ecce potestatem eorum colligatam vides. Cæterum si in æstimando rerum precio Marschalci modum excedant, habent potestatem Consilii præsentis illud moderandi, & ipsis præcipiendi. Marschalcus Regni venienti Senatori in Senatum, obuiam procedit, turbam submouet, deducit, locum monstrat. Et hoc sibi volunt verba Legis: *Attendant, vt debitus cuiq; honor, ex parte Maiestatis Regia, iuxta personam dignitatem, impendatur.* Quæro; quis maior est, is né qui imperat, an cui præcipitur? is qui sedet, an is qui ministrat? *Diem ei dicunt Senatores ad commune iudicium Senatus.* Verba hæc notant, eum esse in auctoritate Senatus: quia lex subiicit eum authoritati consilii generalis, viuente Rege. Post mortem verò Regis dubitamus de eo, an sit in potestate Senatus. Is igitur, qui viuente Rege Senatoribus ministrat, continuo vniuerso Senatu

factus superior, eum ad se vocandi potestatem habebit? Verba Legis & recta ratio resistit ac repugnat. Ad hæc Marschalcus Regni, communicatum habet officium cum Marschalco Magni Ducatus Lithuanix, & cum Marschalcis Curix. Itaq; quod vni conceditur, aliis quoq; concedi necesse erit. Habebimus igitur tot publici consilii duces, quot Marschalcos.

Diuerfa sanè ratio est in Imperio & aliis Regniis, vbi Archimarschalci, Cancellarii, summam dignitatem obtinent. Apud nos non item, sed ima propemodum in Senatu loca, & extremam ferè sententiæ dictionem Marschalci & Cancellarii habent, & adepti maiorem dignitatem, cedere officio coguntur. Quæ Lex eo consilio facta esse videtur, quòd eorum potentia, cum aliàs semper, tum maxime interregni tempore, R.P. suspecta est.

Itaque omnes hi Marschalci, Cancellarii, Thesaurarius Regni, Imperator seu dux exercitus, morte Regis, auctoritati Senatus parent. Nihil agunt, nec agere debent, nisi mandato Senatus. Cancellarii certè statim morte Regis sigilla obsignant, & ab officio exercendo abstant, Maiorq; Secretarius in eorum locum succedit.

Quod de Marschalcis & Cancellariis Regni & Magni Ducatus Lithuanix à nobis dictum est, non eo animo dictum esse quisquam arbitretur, vt de dignitate & auctoritate eorum quidquã derogatũ esse velimus, quorum officium Reipub. est valdè necessarium; addo etiam dignitatis plenum. In cura enim & administratione Marschalcorum omnis vitæ Principis securitas, omnis ordo, pax, tranquillitas, tam in aula tempore Comitiorum, quam extra: omnis denique splendor & maiestas Regis, Regni & Senatus  
posita

posita esse videtur. Cancellariis item & Vicecancellariis Respub. credidit sigilla Regni, quibus publicæ actiones & libertas firmatur, eisq; credita est dispensatio iuris & æqui. Et iudices ii sunt civilium causarum, & præsentés esse debent solentq; in aula Regia. Sed licet officia eorum in Repub. sint talia & tanta; non habent tamen potestatem conuocandi Senatum. Eorum est, autoritatem Senatus colere, reuereri, & dignitati eius inferuire; sequi, non præire. Certè tempore interregni, Marschalci, mandante Senatu, officium suũ exercent, in constituenda pace & tranquillitate, tam in loco Comitiorum, quàm extrà; in æstimando rerum precio, distribuendisq; hospitiiis. Eorum quoque est, edicta, mandante Senatu, promulgare. Exstat ea de re exemplum apud historicos, cùm Rituianius & Melstinius impuberi Wladislao, qui Turcico prælio ad Varnam occubuit, diadema imponi nollent. Ioannes Olesnicius Marschalcus Regni, mandato Senatus edixit; vt qui Wladislao fauerent, in dextram: qui negarent coronandum, in leuam discederent. Qua promulgatione edicti, sopita est tota illa controuersia. Itaque tempore interregni eorum officium est; post renuntiationem electi Regis, in Senatu ab Archiepiscopo Gnesnensi, vt mox ostendetur, factam, Regem nominatum & renunciatum per edicta promulgare, & ad vniuersorum notitiam deducere & declarare.

Castellanus Cracouiensis quid iuris & potestatis præ aliis Sanatoribus in Regno & interregni tempore habeat, nil illic habeo cognitum. Etenim nihil iura & leges ea de re sanxerunt: sine lege autem loqui erubescimus. Ad hæc, non solum is locum obtinet; sed Palatino Cracouiensi olim adem-

ptum, ob scelus commissum. Planè Palatinus Cracouiensis cum Palatino Posnaniensi alternis vicibus dicunt sententias. Quod si in Minori Polonia, primus inter Senatores Castellanus Cracouiensis, Primas censebitur: eodem iure sibi Palatinus Posnaniensis eam ipsam dignitatem in Maiori Polonia vendicabit, qui inter Seculares Maiores Polonos primum tenet locum. At neuter istorum dici potest primus, cum vterque illorum habeat priores se omnes Episcopos in vno eodemque Senatu.

Cum igitur Primatis honor, neque Marschalco, neque Cancellario, neque Cracouiensi Castellano conuenire possit: quinetiam opinionès illæ, contra Legem inuectæ, sine exemplo, contra morem maiorum, contra ius & æquum, Reipublicæ verò inutiles ac periculosæ sint: reliquum est, vt illorum sententiam probemus, qui eam dignitatem & excellentiam Archiepiscopo Gnesnensi iure ac legitime deberi asserunt. Cuiam enim talis ac tanta dignitas & auctoritas potius conuenit, quàm ei, qui in amplissimo Senatu loco & ordine eminet? Atque is est Archiepiscopus Gnesnensis, qui Princeps Senatus habetur: neque Principibus ac Ducibus feudatariis, vt vocant, Regni; ac ne fratribus quidem & filiis Regis honore & prærogatiua loci cedit. Tanta autem dignatione est antiquitus, vt ei soli omnium, dum incedit aut vehitur in publico, etiam Rege presente, sceptrum seu virga præferatur; aduenienti verò, Rex assurgat. Porrò, absente Rege, eius auctoritate cogitur Senatus, & ab eo Senatusconsulta promulgantur. Hic ipse Regem ritu solenni inaugurat, siue inungit & coronat: Et si quid publicè Senatus & aliorum ordinum nomine de rebus maioris momenti cum Rege agendum est, per eum agitur.

gitur. Penes eum est præsidium aduersus Regum impotentem dominatum, si quid in præiudicium iuris & libertatis publicæ attentent. De Iacobo quidē Archiepiscopo Zne-na orto memoratur; quòd, cum Wladislaus Princeps, Boleslai Crispi filius ante annos 440. iniurius esset fratribus suis, bellumque ciuile aduersus eos moueret, in castra eius curru vectus venerit, eumque (quamuis plebeius homo) liberrimè de Tyannico & impio cæpto monuerit, contemnentemque vnà cum exercitu diris deuouerit. Nec mora sententiam eius ultio diuinitus secuta est. Profligatus est enim Wladislaus cum exercitu suo à paucis obsessis. Recens est memoria, cum Rex nuper defunctus Sigismundus Augustus, certum cōtractum de sale vendendo in detrimentū Nobilitatis fecisset, maiores Poloni eam rem ad Archiepiscopum detulerunt, vtque conuentum indiceret postularent. Rex ab Archiepiscopo monitus, destitit ab incepto. Ita in Archiepiscopo Gnesnensi validum, & certum est genti nostræ, contra Regum impotentiam & iniurias præsidium. Et verò habet is amplissimas possessiones in medio Regni sitas, quo expeditius & maiore cum dignitate fungi muneribus suis queat. Rectissimè igitur penes eum, ea, de qua nunc agimus, prærogatiua Primatus est, & esse debet, vt interregni tempore ad eum ceteri Consiliarii confluant, communicatoque consilio de eorum sententia locus tempusque eligendi Regis, cæteris membris & Ordinibus Regni, denunciatur. Nec id modò: sed subitariis etiam Reipub. periculis obuiam eatur: securitati & necessitatibus moram non ferentibus prospiciatur: legationes etiam externorum Principum ad eum adeant. Denique electum communibus suffragiis Regem is renunciat, & exacto ab

eo iuramento legitimo, ritu solenni, vt dudum memorauit, coronat. Tanta quidem dignatione prædito inferiores omnes non inuiti honorem habent & obsecundant. Non verentes, ne is, vtpotè sacris initiatus, ad summum apicem aspiret. At enim spiritualis est, vt vocant, Primatus dignitas, neque ad Regnum & Rempubicam nostram pertinet. Fertur enim Archiepiscopus Nicolaus cognomento Træba, cum esset publicè allegatus ad Constantiense Conciliū, eam Primatus prærogatiuam sibi & suis successoribus Gnesnensib. Archiepiscopis in eo ipso Concilio impetrasse. Est quidem ita, quòd is Primatum ex eo Concilio reportauit. Verum scire operæ precium est; esse etiam inde fermè ab initio Christianæ religionis dignitatem Ecclesiasticam superiorem Archiepiscopali & Metropolitana, inferiorem autem Patriarchali. Qua qui præditi sunt, Primates à Latinis vocantur. Eam igitur tunc à Træba impetratam esse credibile est, quò eximiam haberet in Polonia & Lituania dignitatem, & in ipsum etiam Leopoliensem Archiepiscopum, & Suffraganeos eius Episcopos potestatem & iurisdictionem. Quod si fortè ad eum quoque Primatum, de quo nunc agimus, Diploma illud pertinet: non tam dat id nouam prærogatiuam Archiepiscopo Gnesnensi; quam antiquam & inueteratam relinquit & stabilit. Quam Rex Wladislaus Iagiello dudum per Leopoliensem Archiepiscopum labefactare adortus erat, cum ab eo Reginam Elizabetam tertiam vxorem suam, præter morem & assensum Senatus amplissimi, coronari curasset. Summa enim tunc erat, estque adeò etiamnum, apud rectè sentientes de religione, Pontificis Max: & generalis Concilii auctoritas. Quæ nec apud diuersum sentientes & contumaces filios obstare debet

bet Gnesnensi Archiepiscopo, quominus antiquiori iure suo utatur.

At nihil de eo legibus nostris cauetur. Demus hoc. Num autem omnibus de rebus ad Rempub. pertinentibus cautū est? Nulla né instituta à maioribus nostris, quasi per manus nobis tradita, scriptarum legum vim habent? Serò maiores nostri, nempe ante sexcentos demum annos, literas cū religione christiana acceperunt. Leges autem scriptæ ante Casimirum magnum Regem, hoc est, ante 250. annos, nullæ apud nos extant. Inde perpauca extant, & simplicissima, iudiciales ferè: aut si quid vnquam præterea in controuersiam venit Rempub. administrantibus. Quales sunt superius memoratæ de officiis Marschalcorum, Cancellariorum, & aliæ eiusdemmodi tum demum conditæ, cū Magistratus plus sibi sumere incipiebant, quàm par erat, aut alienas functiones vsurpabant.

De eximia illa dignitate & munere seu Primatu Archiepiscopi, quia nulla vllò vnquam tempore fuit controuersia, nulla de eo lex lata est. Cum Repub. simul (christiana duntaxat) & è visceribus eius natus, perpetuò ius suum, in interregnis præsertim, obtinuit: nec cum quisquam vllò vnquam tempore ante hos aliquot annos conuellere vel debilitare tentauit, licet essent nonnunquam Archiepiscopi nõ vsquequaq; Senatui, vel populo, vel Ordinibus Regni grati. Intelligebant nimirum homines literarum quidem atq; doctrina rudes; sed naturali ingenio præpollentes, & vsu rerum prudentes, amantesque Patriæ, non personæ, verum loci ac dignitatis amplissimæ prærogatiuam illam esse. Atque adeò non tam loco ac personæ Archiepiscopi, quàm insigni Regni parti, hoc est, maiori Poloniæ, iustè ab vniuersa

uerfa Repub. siue indultam siue relictam esse. Cum enim quodam tempore insignia Regni vnà cum Regis domicilio & coronatione è Maiore Polonia in Minorem translata essent, optimo iure Maiores Poloni ius & prærogatiuam illam eximiam primori suo totiusq; Poloniæ Senatori vendicantur & retinuerunt. Verùm id, vt multa alia, literis mandatum non est. Fortassis autem etiam autenticis literarum monumentis demonstrari potest; Archiepiscopos Gnesnenses ea prærogatiua vsos esse, non illis quidem vetustioribus, sed ante nonaginta tamen annos conscriptis & editis. Exstat Decretum electionis Alexandri Regis, præsidente fratre eius Friderico Cardinale & Archiepiscopo Gnesnensi conscriptum: in quo apparet, non modò eximia illa Archiepiscopi dignitas & authoritas; verùm etiam Primatis nomen. Quæ cum nemine repugnante, consentientibus autem omnibus Consiliariis Regni & Nobilitate, ab Archiepiscopo tunc vsurpata sint: constat, non recens ea tunc in Rempu. irrepsisse aut inuasisse: sed inueterata è moribus maiorum repetita & retenta esse. Non fuerit autem ab instituto nostro alienum decretum id ad verbum inferere. Sic igitur id habet.

## Decretum de electione Alexandri Regis.

**F**ridericus miseratione Diuina Sacrosancta Romana Ecclesia tituli S. Lucia in septē solis presbyter Cardinalis, Archiepiscopus Gnesnensis, Regni Poloniae



Polonia Primas, & Episcopus Cracoviensis, Andreas Roza Archiepiscopus Leopoliensis, & Episcopus Premisliensis, Creslaus Wladislauiensis, & Cancellarius Regni, Ioannes Posnaniensis, Lucas Varmiensis, Albertus Vilnensis, Vincentius Plocensis, & Matthias Chelmenfis Ecclesiarum Episcopi; Spi tek de Iaroslau Castellanus Cracoviensis, Andreas de Schamotuly Posnaniensis, Petrus Kmita de Uisnice Cracouiensis & Marschalcus Regni, Ioannes de Tarnou Sandomiriensis, Nicolaus Gardzina de Lubranc Calisiensis, Dux Alexander Castellanus Vilnensis, Ioannes de Zabrzeze Trocensis, Nicolaus de BaiZen Marieburgensis, Petrus Myskouski Lanciciensis, Nicolaus de Koscielec Brestensis, Nicolaus de Kretkou Iuniu Wladislauiensis, Ioannes de Tarnou Russia, Nicolaus de Kurozouviaki Lublinski, Stanislaus Kmita de Uisnice Belzensis, Mi negneuius de Krisko Plocensis, Andreas de Kutno Rauensis, Palatini; Dobrogostius de Ostrorog Posnaniensis, Iarandus de Brudzew Calisiensis, Ioannes de Przerab Siradiensis, Andreas de Laxin Lanciciensis, Andreas de Teczyn Woinicensis, Ioannes de Slu-

*de Slupca Sandecensis, Petrus Szafraniec de Bie-*  
*łkowskátá Wisliciensis, & Capitaneus Mari-*  
*burgensis, Stanislaus de Potulice Miedzyrzecensis,*  
*Hieronymus de Kobylino Rosperiensis, Lauisus de*  
*Konradzic Plocensis, Ioannes Polak de Karnkóv*  
*Landensis, Raphael de Iarosláv Premisliensis, Io-*  
*annes de Sienna Malogostensis, Castellani; Ma-*  
*thias de Drzewica Propositus Scarbimiriensis, &*  
*Scholasticus Cracouiensis, Vicecācellarius Regni Polo-*  
*nia, Andreas de Koscielec Marschalcus Curia Rega-*  
*lis; & Petrus de Szydłowiec Succammerarius Cra-*  
*couiensis, cateriq; Pralati, Barones, milites, & No-*  
*biles Regni, vniuersum Regnum Polonia & Ma-*  
*gnum Ducatum Lithuania representantes. IN no-*  
*mine Sanctæ indiuiduæ Trinitatis. Ad vniuerso-*  
*rum, quorū interest, intereritq; ad futurum, notiti-*  
*am deducimus: Quòd anno presentis feria quinta in*  
*Octaua festi sacratissimi Corporis Christi in ciuitate*  
*Torunensi terrarum Prussia, Serenissimo olim Prin-*  
*cipe Ioanne Alberto, Dei gratia, Rege Polonia, Su-*  
*premo Duce Lithuania, Russia, Prussiaq; Domino &*  
*herede &c. gratiosissimo, per mortem, cui omne vita*  
*subia-*

subiacet imperium, de medio sublato, eiusq; olim fu-  
 nere Regio Cracouia feria secunda post festum S. Ia-  
 cobi Apostoli in Basilica Diui Polonorum Patroni  
 Praesulis Stanislai in Castro Cracouiensi sita, honori-  
 ficientissimè sepulto, ceremoniis ad hoc dignissimis fu-  
 neralibusq;, prout tantæ expediebat Maiestati, non  
 minus reuerenter, quàm etiam deuotè & lugubriter  
 adhibitis. Tandem immediatè sepultura peracta,  
 fuit per nos uniuersos, qui Cracouia iusta funeri sol-  
 uimus, electioni futurae Maiestatis Regiae dies & lo-  
 cus huc Petricouiam ad praesentem Conuentionem ge-  
 neralem decretus, deputatus & assignatus, decreto  
 communi mediante praesentium Dominorum Prala-  
 torum, & Baronum Regni sepulturae Regiae inter-  
 essentiu absentiuq; accedente consensu. Fuereq; uni-  
 uersi Principes ac Praelati spirituales ac seculares, Ba-  
 rones, nobiles, milites, & communitates Terrarum  
 & Ciuitatum de iure ac consuetudine ad electionem  
 Regiam pertinentium, edictis proclamationum pu-  
 blicis, ac literis & nuntiis eam ipsam electionem  
 praefixam intimantibus, denunciantibusq;, uocati &  
 conuocati, ut nobiscum unà pro eligendo futuro Rege

ac Domino aut conuenirent, aut Nuncios cum mandatis dirigerent, ad presentem electionem conuentionemq; Petricouensem, pro diebus deputatis, in presentem vsq; diem per continuationem sequentibus: ubi dum cum uniuersis dominis Principibus & Prelatis spiritualibus & secularibus, militibus, Nobilibus, communitatibusq; Terrarum & ciuitatum coparentibus & presentibus, absentiumq; Nunciis, iniremus consilia, tractatus & deliberationes pro eligendo Serenissimo Domino Rege futuro, proq; aliis necessitatibus euentibusq; publicis in melius ordinandis. Tandem nobis Friderico, miseratione diuina Cardinali, ueluti Archiepiscopo Gnesnensi, & Regni Primati, consilii ordinem & electionis progressum proponentibus, uocatorum non coparentium absentia non obstante, per nos & uniuersos Prelatos spirituales & seculares Barones & Consiliarios, nostro & absentium nomine, ad electionis decretum, in Dei nomine, processum erat, die & loco infra scriptis. Qua Missa de Spiritu S. cantata & audita, ac ceremoniis, consiliis, tractatibus, deliberationibus, conclusionibus de more atque iure pramissis: nos qui supra

Hæc uerba in aliis inuestituris Regū uidere licet.

præ Prelati & Barones vniuersi, ad quod istud de iure ac consuetudine Regni eiusdem pertinet, unà cum Nunciis & Oratoribus præclari Principis D. Conradi Ducis Masouia, ac Magnificorum D. Ioannis Stephan Voievvoda Moldauia, aliorumq; Principum, Prælatorum & Baronum Regni absentium, cū literis & sufficientibus mandatis ad electionem præsentem missis, nomine suorum principalium comparentibus & electioni interessentibus, decretum electionis diximus, pronunciauimus, & promulgauimus, dicimusq; pronunciamus sic: Quia non ex affectione carnali, personali, sed inspirante Spiritus almi gratia, votis, voluntatibus, affectionibus, desideriis vnanimibus, nemineq; ex nobis (operante Spiritus eiusdem gratia) à votis & voluntatibus vnanimibus discrepante, Sereniss. Principem D. Alexandrum, Dei Gratia, Ducem Lithuania, Samogitia, Russia, Kijouia, dominum & heredem, &c. dominum nostrum gratiosissimum, sicut ius libera electionis nobis competiit, & competere iure consuevit, decreuimus eligendum in Regem Polonia, olim Serenissimi D. Ioannis Alberti nuper vitæ defuncti Re-

gis Polonia, immediatum, verum, indubitatum, & legitimum successorem, dominum nostrum gratiosissimum, decernimusq; & eligimus presentibus: & hoc in quantum sua Serenitas ordinatione inter Regnum Polonia, &c. Magnum Ducatum Lithuania, per nos Fridericum & Pralatos ac Barones Regni Polonia superscriptos, cum Reue<sup>mo</sup> in Christo Patre ac Mag<sup>is</sup> & Generosis dominis prefatis Oratoribus & Nunciis Ser<sup>is</sup> sua, vigore mandatorum Ser<sup>is</sup> eiusdem, ac uniuersorum Pralatorum, Baronu, Procerum, Boiavorum, Nobilium, & Communitatum Magni Ducatus Lithuania ratam, factam, approbatam, literisq; eorum, sigillis, ac iuramentis, in omnibus punctis, conditionibus, clausulis, & articulis approbabit, confirmabit, & ratificabit perpetuo obseruandam. Quam electionem presensq; decretum nostrum cum uniuersis Nobilibus ac Terrarum & Ciuitatum Communitatibus, nostro & eorum atq; absentium nomine, approbanda, tenendam, laudandam, confirmandam, & emologandam duximus: approbamusq; tenemus, confirmamus, laudamus, & emologamus tenore presentium mediante. Itaq; decre-

decretum huiusmodi in virtute Altissimi exequi cupi-  
 entes, de certa scientia communiq; consilio, ac omni-  
 bus modo, iure, & stylo, certos dominos Pralatos &  
 Barones Regni Polonia fratres nostros in literis Cre-  
 dentiarum ad eundem Serenissimum D. nostrum,  
 Dominum Electum per nos datarum nominatos ad in-  
 frascripta gestores, actores, & Nuncios deputauimus  
 & deputamus. Dantes eis mandatum generale &  
 facultatem plenariam, presens decretum nostrum ei-  
 de felicissimè Electo ac Domino D. Alexandro, Dei  
 gratia, Magno Duci Lithuania, &c. domino nostro  
 gratiosissimo, intimandi, eiusq; D<sup>ncm</sup> excellentissimã,  
 utrum in electionem de se factam consentiret, aut  
 eam acceptaret, ratamq; haberet, requirentes. Alia-  
 que omnia & singula cum eius D<sup>ne</sup> Ill<sup>ma</sup> uniuersisq;  
 Pralatis, Baronibus, militibus, & Communitatibus  
 Magni Ducatus Lithuania agendi, faciendi, tra-  
 ctandi, consulendi, concludendi, & firmandi, ac de  
 rato & grato nostro & Regni totius nomine promit-  
 tendi, & ea quæ mandatum exigent magis speciale  
 quàm presentibus est expressum. IN quorum omni-  
 um testimonium premissorum sigilla nostra ac alio-  
 rum

rum Pralatorum, Procerum, & Nobilium Regni Polonia presentibus sunt appensa. Actum & datum Petricouia in Conuentione generali, die Dominico in profesto sancti Francisci, Anno Domini, Millesimo Quingentesimo primo. Presentibus ibidem ac ad premissa consentientibus, rata habentibus, & ea emologantibus suo & aliorum presentium & absentium Regnicolarum nominibus Venerabilib. Generosis, & Nobilibus dominis, Nicolao Kricki Decano & Praeposito Posnaniensi, Ioanne Konarski Cracouiensi, & S. Michaelis Praeposito, Ioanne de Lasko Cancellario Gnesnensi, Decano Wladislauensi, & Cancellario Posnaniensi, Nicolao de Bartniki Custode Plocensi, & Praeposito Calisiensi Ecclesiarum, Stanislao Lasocki de Brzeziny Succamerario Posnaniensi, Nicolao Cikowski Gladifero Cracouiensi, Martino de Skotnik Iudice Sandomiriensi, Iaroslao de Lasko Tribuno Siradiensi, Stanislao de Kurozłowiaki Wielunensi, Ioanne Zarembe de Kalinowa Siradiensi, Ioanne & Stanislao de Sproowa Opoczneni Capitaneis, aliisque compluribus Pralatis, militibus, Nobilibus, Terrigenis, & indigenis Regni Polonia.



An non agnouit autem etiam in eo Senatus, authoritatem Primatus; cum defuncto eo ipso Ioanne Alberto Rege Torunia, intra septimum diem, triginta Senatores e Maiore Polonia, ab eo ipso Friderico Cardinali & Archiepiscopo euocati, Louicium conuenerunt, & consilia inter se habuerunt? Conueniebant etiam Minores Poloni: sed ex itinere domo reuersi sunt, cum Archiepiscopum Louicio discessisse cognouissent. Nec est existimandum; quod ij, Senatores inquam, ad Fridericum, non quasi ad Archiepiscopum & Primatem; sed quasi ad Cardinalem & filium Regis conuenerint. Cur enim ad Regis filium conuenirent, libertate electionis uti volentes? Cur autem ad Cardinalem, Cardinalitiam dignitatem non modo ab electionis negotio; verumetiam a tota Republica, ut infra patebit, alienam esse contendentes?

Habemus igitur, si non Legibus, decretis certe (quæ Legum vim & pondus obtinent) & actis superiorum temporum, expressas prærogatiuas & officia præcipua Archiepiscopi Gnesnensis, uti Primatis Regni, sine vlla controuersia antiquis, non ambitiosè usurpata; sed assentientibus omnibus Ordinibus iure optimo visitata. Habemus etiam ipsum Primatus nomen. Quid igitur obstat, quominus eum ipsum Primatum, is ipse Archiepiscopus, vnâ cū cæteris eius prærogatiuis & officiis, deinceps quoque retineat? Nimirum, ut is non modo conuocet Senatum; verumetiam præsit & moderetur consilio publico; proponat quibus de rebus cōsultandum, & quomodo suffragia ineunda sint; eaq; si diuersa sint, conciliet: legationibus externis locum faciat, ac de Senatus sententia respondeat: & si quid est præterea, quod in interregno cum auctoritate peragendum sit. Con-

iuncta enim hæc sunt, neque rectè à se inuicem disjungi possunt. Coronandi autem Regis, & exigendi ab eo iusurandi legitimi ius, dubium non est eidem Archiepiscopo competere: non modò eodem iure; verum etiam Cazimiri Magni priuilegio, quò eum etiam primum Principem Regni appellat. Priuilegii verò illius cõfirmandi & illustrandi causa illa fuisse videtur; quòd superiore tẽpore, cum siue vacaret tũc Archiepiscopatus sedes, siue Archiepiscopus ipsaq; Gnesna, vbi insignia Regni tunc adhuc asseruabantur, in Henrici Ducis Silesiæ (qui Maiorem Poloniam à cætera auulsam tunc obtinebat) ditioe esset, pater Cazimiri Vladislaus Loëticus Rẽx electus coronatus non fuit. Aliquantò enim post, Henrico Duce mortuo, coronatus est, vt habent Cromeri nostri Varmiensis Episcopi annales. Ne igitur Archiepiscopus in posterum iure suo cecidisse iudicaretur; præsertim trãslati Cracouiam insignibus Regni, Cazimiri diplomate cautum est. Idem etiam Cazimirus graui poena sanxit; si quis præsentem eo ipso Archiepiscopo, gladium strinxerit in alium, siue vulnerauerit, siue non. Ex his igitur luce meridiana clarius fit; ius Primatus Regni penes Archiepiscopum Gnesnensem esse antiquitùs in Polonia.

His illa quoque adstipulantur, quòd regnante Sigismundo seniore, & absente à Regno, in Lithuania verò degente, Petrus Gamratus Archiepiscopus Petricouia Comitii Regni cum potestate præfuit, & Senatus consulta Constitutionesque Comitiales promulgauit. Præsentem etiam eodem Rege, sed ægrotante, postea ibidem, in Aula Archiepiscopali, eo ipso Gamrato præsentem, sæpenuerò Senatus habitus est. Post eum quoque Sigismundo Augusto regnante, ad eundem modum apud Nicolaum Dzierzgouium Archiepi-

chiepiscopum non semel publicè consultatum est. Viuunt adhuc non pauci, qui vtrunque compertum habent, & interfuerunt. Ad rem facit & illud, quòd cum eximia sit in Ecclesia Catholica Cardinalium S. Rom. Ecclesiæ dignitas, & habeantur ij in Repub. Christiana Archiepiscopis, Metropolitanis, Primatibus Ecclesiasticis (quorum mentio facta est antea) & Patriarchis superiores: non cedit eis tamen in amplissimo Regni Senatu, loco, honore, & autoritate Archiepiscopus Gnesnensis, velut Primas Regni. Quod quidem euidenter patuit quodam tempore, nempe regnante Cazimiro tertio. Nam cum Sbigneus Olesnicius Episcopus Cracouiensis, vir cum de Ecclesia, tum de Republica nostra benè meritus, à Pontifice Max: Cardinalis creatus esset, prærogatiuaq; eius dignitatis in Senatu vti, & Wladislaum Gnesnensem Archiepiscopum anteire vellet, obstitit Archiepiscopus vti Primas Regni: nec solus, sed cum Proceribus & Senatoribus Maioris Poloniæ. Et, cum Rex, cum cæteris Senatoribus pertinaciùs Sbigneum tueretur, omnes cum Archiepiscopo Senatu excefferunt. Controversia tandem, discessu Cardinalis è Comitibus, sopita est. Vt autem placidè peragerentur Comitibus, Archiepiscopus quoque in gratiam Regis & Senatus discessit. Sed expèdamus diligentius causas tantarum discordiarum. Nunquid honor amplissimus Cardinalatus offendeat Maiores Polonos? Minimè. Erant enim tunc omnes Sedi Apostolicæ addictissimi, & cultores fidei Catholicæ studiosissimi. Nulla tunc hæresis, nullû schisma vexabat Regnû: nullæ offensiones Seculariû aduersus Spirituales intercedebant: imò Sbigneus Episcopus, propter summam grauitatem, prudentiam, magnanimitatem, & in dicenda sententia, tuen-

disque iuribus publicis libertatem, & auctoritate in Senatu & gratia populari maximè pollebat. Nemo erat, qui & Reipub. eum honorem, & patriæ communi, ornamentum inuideret. Quid igitur spectabatur? Hoc nimirum; ne Regnum in euentum mortis Regis absque ordine esset, & absque vno, qui ceteris omnibus præiret. Nemo enim obtemperasset Sbigneo, vti Cardinali; sed vti Episcopo Cracouiensi. Itaque Episcopum Cracouiensem Archiepiscopo Gnesnensi præferri, & Primatum Maioris Poloniæ in Minorem Poloniam transferri volebant. Hinc est, quod hisce, quæ memorauimus, ornamentis, nudari se Maiores Poloni indignè ferebant, cum iam antea Minores Poloni primatutem & præcedentiam occupassent. Hæc sunt verba Dlugosii temporis illius historici. E quibus aperte colligitur; ortam fuisse controuersiam, non tam inter duas personas, quàm inter Consiliarios Terrarum Maioris Minorisque Poloniæ; non de excellentia Cardinalatus, aut Metropolitanæ sedis honore; sed vtrum in Ordine Consilij publici præire deberet Episcopus Cracouiensis, vti Cardinalis; Archiepiscopo Gnesnensi; an verò Archiepiscopus Gnesnensis, vti Primas Regni, Cardinali, vti Episcopo Cracouiensi. Decretumque Regis & Senatus in Conuentu ea de re intercessit; vt deinceps nemo Cardinalatus honorem sibi conferendum procuret, inconsulto Rege & Senatu, ne id in præiudicium excellentiæ, Archiepiscopi & Terrarum Maioris Poloniæ derogationem factum esse videatur. Ac iure quidem videtur esse latum. Licet enim insignia Regni Gnesna Cracouiam, contendentibus & instantibus Principibus, sint translata: manet tamen priuilegium loci & Terrarum Maioris Poloniæ. Quæ quidem confirmatio  
 seu

seu decretum in Conuentu latum, si quis rectè expendat, stabilit, & firmat Primatū Regni: ita, vt si nihil aliud sit, ad comprobandum Primatum, satis illud superq; fuerit. Atq; hoc equidem diuina quadam prouidentia factum esse reor; vt in Minori Polonia Coronæ locus, & Coronationis: in Maiore verò Coronatoris & moderatoris consiliorum, ac ipsius electionis Regis; tempore interregni esset: vt scilicet, communicatis hoc modo prærogatiuis, alter alteri libertatem electionis Regis præripere non posset.

Nec sanè in sola Polonia nostra, hoc est Archiepiscopi Gnesnensis Primatus Priuilegium. Habet etiam Hungaria suum Primatem Archiepiscopum Strigoniensem. Habuit non ita pridem, nec scio an etiam nunc habet Anglia, (licet peruersa cum religione, & in Tyrannidem conuersa, omni ferè ratione iusti Regni) Cantuariensem. Habent fortassis & alia Christiana Regna. Quòd autem is ipse honor Gnesnensis Archiepiscopi apud nos nunc in cōtrouersiam à quibusdā vocatur, in causa est Religionis mutatio, seu potius corruptela. Quæ postquam in Regnum hoc aliunde irrepfit, & hunc & omnium Spiritualium (vt vulgato verbo vtar) honorem, dignitatem, opes, & auctoritatem funditus euertere conatur, quo maiore licentia in strage animarū innoxia plebis debacchetur, & in pristinam barbariem & impietate degeneret. Lupi quidem cum Pastoribus (vt est in fabulis) foedus inire voluisse memorantur, ea lege, si sibi canes custodes gregis dederentur. Sed viderint sapientes isti custodes Reipub. quam benè consulant ornamentis, commodis, & libertati publicæ: cū sit Equestri & Senatorio Ordini honorificus, & perutilis hic, de quo agimus, Primatus; vt vniuersæ Reipub. salutaris ac penè necessarius. Præcla-

rum sanè is est documentum summæ libertatis ac æquabi-  
 litatis iuris nostræ gentis; quòd ea in Regno (cuius eximia  
 quædam in omnes potestas esse solet) habet vnum de me-  
 dio nostrum, fratrem nostrum, os ex ossibus nostris, carnem  
 de carne nostra, in tanta dignitate, constitutum; vt Regem  
 non multis passibus sequatur, & ab eo reuerenter colatur,  
 libertatemque sceptri sui à Primare restringi non molestè  
 ferat, quemadmodum ostensum est superius. Quia de cau-  
 sa olim Lacedæmonij, populorum Græciæ sapientissimi  
 & bellicosissimi libertatisq; studiosissimi, Ephorum Ma-  
 gistratum in in R.P. sua instituerunt, qui actiones Regis ob-  
 seruaret, iisque moderaretur. Porro in interregno maior  
 est etiam Primatis vsus, maius decus in Republica. Erum-  
 peretur sanè nonnunquam in perniciosas factiones, dissi-  
 dia, seditiones, & bella ciuilia, nisi vnus Primatis autori-  
 tate cæteri Senatores & Nobilitas vniuersa in officio con-  
 tineretur, & diuersa sentientes in concordiam redigeren-  
 tur: Principum quoque ac Ducum feudatariorum ambitus  
 Primatu retunderetur: vt minus ij molestè ferant, Prima-  
 tem Regni in consiliis & consessibus publicis sibi præferri  
 & præsidere. Quod, quàm multum ad libertatem retinen-  
 dam conferat, non est obscurum. Iam verò Regis quoque  
 ipsius interest; habere vnum in Regno suo recti monitorè,  
 qui ad altiora non aspiret, & qui suborientes nonnunquam  
 à turbulentis & seditiosis hominibus contra ipsum imme-  
 rentem, aut etiam benè merentem, motus, prudentia, con-  
 siliis, & autoritate sua placidè componere possit; ipsumq;  
 de existimatione, ne dicam de statu suo, periclitantem, di-  
 lutis sinistris suspicionibus, tueri & subleuare.

Constat igitur dictante natura, ratione, ornamento &  
 vtilitate

utilitate publica, vsu & moribus antiquis, exemplis aliorum  
 benè constitutorum Regnorum, decretis denique & legi-  
 bus Regni, & inuestituris Regum superiorum, Primatum  
 antiquitus esse, & esse debere, in Regno & Repub. nostra;  
 eumque honorem, cum suis officiis, proprium & peculia-  
 rem esse, Gnesnensis Archiepiscopi. Non debet autem  
 is conuelli aut labefactari ab iis, qui custodes ha-  
 beri volunt libertatis publicæ, & qui iura  
 ac priuilegia & prærogatiuas suas  
 fartas tectas conserua-  
 re cupiunt.



DE MODO ET  
ORDINE ELECTIONIS  
NOVI REGIS,

Apud Varſauiam, Anno Domini 1573.  
habitæ;

*Rationeque eligendi Reges Polonia.*

EIVSDEM ILL<sup>MI</sup> AC R<sup>MI</sup> DOMINI,  
D. STANISLAI KARNKOVSKI,  
Archiepiscopi Gneſnensis, &c.

AD MARTINVM CROMERVVM,  
Episcopum Varmiensem,

*EPISTOLA* ad hanc Epistolam in Illustratione  
ty Lib. III. Ep. 66. et in Cronica Polonica ad Des. Chron. de 1573. p. 159.



ogitanti mihi, & vetera memoria repetenti; ex omnibus beneficiis Regno, à Deo Optatis & concessis, nullum, nec ad gloriam illustrius, nec ad vtilitatem maius, nec ad perfectionem pulcherrimi operis magis absolutum, nobis & regno huic contigisse videtur; quàm quòd eius gratia negotium electionis promouente, consensu omnium, Serenissimum Principem Henricum, fratrem Christianissimi Regis Galliarum, Andium Ducem, in Regem nostrum elegerimus. Verè enim iudicando, nemo mortalium facile credebat; vt tot nationes, lingua, moribus, legibus, studiis, voluntatibus, religionibus, inter se dissidentes, in vnum, eumque externum, terra marique



riq̄ue diſiunctiſſimum, conuenirent. Ex tam enim Senatorum & Equeſtris Ordinis conuentu frequentiſſimo, iam tum cum in ſuffragia itum eſſet, vix quarta pars aliò voluntates ſuas contulerat: ita, vt nulli iam dubium foret, eum & non alium quenquam nobis regnaturum fuiſſe. In quo eligendo, quoniam ceſſarunt omnia impedimenta & difficultates: rediit, q̄ue in ſumma licentia charitas, prudentia, ordo, modus, obſequium: à Domino factum credimus, & eſt mirabile in oculis omnium. Quo magis tam inuſitatam & inauditam clementiã ſilentio præterire nos minimè oportet: quinimò omnes immenſas Deo Opt: gratias agere decet: qui non ſolùm nos Regnumq̄ue hoc ab interitu & opprobrio vindicauit; ſed etiam ſalutem Reipub. noſtræ, libertatemq̄ue Regni, qua præ cæteris gentibus gloriamur, ſartam, tectamq̄ue repræſentauit. Vt igitur tale & tantum beneficium in animis & memoria hominum, non ſolùm vigeat; ſed etiam ad poſteros transmittatur, eisq̄ue exemplum ad imitandum prodatur: confeci Commentarium in terregni, quem D<sup>ni</sup> veſtræ R<sup>mæ</sup> mitto: & ab ea (quæ primas, vt olim Saluſtius in Romana, ſic illa in Hiſtoria noſtra, ſumma cum laude nominis per vniuerſum orbem obtinet) maiorem in modum peto, vt eum colophonem hiſtorię addat. Et initia quidem, progreſſus, quid quoq; loco actum ſit, ex eo ipſo Commentario deprehendes. Cæterum de ratione conſiliorum, & progreſſu electionis, nonnulla R<sup>mæ</sup> P. veſtræ ſcribenda decreui.

Equidem in omni electione hæc tria à directoribus prouidenda eſſe exiſtimo. Primum, vt ſi qui eligunt, ſine vllò metu, eligendi poteſtate vtantur. Deinde, vt recto iudicio, ordine debito, & modo legitimo. Poſtremò, quod eſt

E

omni-

omnium maximum, vt cum summo timore Domini, ad electionem accedant. Ea omnia in electione Regis nostri summa fide, cura, & diligentia à Senatoribus prouisa & facta esse reperies. Principiò enim confinia Regni præfidiis firmanda; deinde, pacem domesticam, constitutis iudiciis extraordinariis, astringendam decreuerunt. Postremò, modum & rationem eligendi Regis tam popularem adiuuauerunt, à qua nullus eques exclusus, nullus circumuentus esse videretur. Diem & locum Comitiorum, habito de more & lege inter se consilio, edixerunt. Sed quia omnes vnum oppidum capere non poterat, de mādato Sanatus, per Officiales Regni, singulis Palatinatibus oppida & pagi adiacentes pro diuersis distributi sunt. Ad communia verò consilia capienda designatus est ager prope ciuitatem pace publica sacratu. Erat campus latè patens, in quo extensum erat tentorium ingentis amplitudinis: circumquaque ambebant tentoria Palatinatum siue terrarum. Conuenit frequentissimus Senatus, & numerosissimus Equitum exercitus. Postquam igitur externorum Principum in maiori tentorio auditæ sunt legationes, & ab vniuersis conclamatum esset; vt declarante & proponente Archiepiscopo Gnesnen. velut Primante Regni, ad eligendum Regem procederetur: factum est, vt decernente eo ex sententia Senatus, vnusquisque se ad tentorium terræ siue Palatinatus sui iuxta præscriptum receperit. Iuere quoque Episcopi & Senatores: ac quem quisque locum de more & consuetudine in terris & Palatinatibus viuente Rege habebat, eundem defuncto obtinebat. Hymno itaq; ad inuocandum Spiritus sancti gratiam in singulis Palatinatibus decantato: videret Paternitas vestra R<sup>ma</sup> mirifica hominum studia in  
Henri-

Henricum Regis Galliarum fratrem propendentia: videret alios lachrymas fundere, & vota pro eo Deo nuncupare; alios hastas liliis insignire: audiret diuersis in locis voces postulantium eum, resonare: alios ita in suffragia ruere, vt actum esse putarent de Republica, nisi is eligeretur. Tantus inerat animis ardor, cum incredibili cupiditate coniunctus: tanta vis amoris mentes hominum accenderat. Postquam igitur Senatores, cum iis, qui erant ab Equestri ordine ad audiendas legationes deputati, postulata & capita earundem retulerunt: Equites suo quisq; loco sententiam liberè, nullo eos impediante, aut sermonem interrumpente, à maximo vsq; ad minimum, cum causarum etiam explicatione, dixerunt: præeuntibus & informantibus Senatoribus, à quibus conciliabantur sententiæ, & ad minimum numerus Candidatorum redigebatur. Tandem finitis sententiis, nomen Candidati, & nomina Equitum, ac numerus suffragiorum, in scripturam redigebatur, & sigillis eorū, quò cum maiore fide Senatui exhiberetur, obsignabatur. Manebat tamen cuiq; potestas mutandi sententiam. Rectæ sunt deinde scripturæ sigillis obsignatæ ad maius tentorium in confessum Senatus: lecta & recitata sunt nomina Candidatorum; itemq; numerus & nomina suffragatorum vniuscuiusque. Si numerus suffragiorum spectetur, vicit Henricus omnes, & adeò quidem vicit, vt cæteri omnes pariter eum non adæquarent. Sed cum in electionibus liberis id maximè cauendum esse videatur, vt non ferrum, non aurum, non acclamatio; sed recta ratio, publica utilitas, & persuasio locum habeat: res deducta est ad iudicium & ad calculum examenque rectæ rationis. Ego autem id factum esse reor ad amplificandam, & eò magis illustrandam

Regis electi laudem & gloriam: quò manifestè constaret, cum non casu & fortuna, non vulgari aut iuuenili impetu, aut temeritate, vel fauore: sed interposita autoritate & iudicio grauisimo, Regem esse creatum. Cùm multum diuque deliberaret Senatus, quæ ratio esset incunda examinis: nulla melior visa ea, qua Græci & Romani olim, ac vt audio, nunc Veneti, in deliberationibus grauisimis, tam actionum publicarum, quàm causarum forensium vtuntur. Editi sunt aduocati, singulis Candidatis, Senatores tres, (ex quorum numero ego quoque eram) qui eorum partes, seruato cuique suo honore, tutati sunt. Res acta est eisdem iudicibus, quibus & testibus. Non erat illud certamen adulationis, sed veritatis: certabat ratio cum ratione, argumentum cum argumento, causa cum causa. Expendebantur rationes honestatis, commodorum, incommodorum, & periculorum. Nihil ibi intentatum relictum est, quod ad hoc negotium spectare quoquomodo videretur. Rigidum sanè & acre examen; sed nobis ac Reipub. nostræ necessarium, quo libertas, salus, & securitas Reipublicæ Regni fundabatur. Erant nonnulli Primores Regni, viri claritate familiarum præstantes, & omni genere laudis conspicui, ad gubernacula Regni nominati, & multos habebant suæ causæ fautores. Quamuis autem in virtuti suæ confiderent: sed vt ne censura de absentibus haberetur, & quò imperaturus omnibus, non solum ex nostris, sed ex omnibus eligendus esse videretur, vltro & sponte sua ante inceptum examen suffragiorum prærogatiua sese abdicarunt. Porro post conflictum rationum & argumentorum, ex his, qui Henrico suffragabantur, nemo; qui verò aliis Candidatis, plerique de sententia sua decesserunt, & suffragia sua in Electum transtulerunt

lerunt. Qui autem ex his tenaciores sui propositi erant, (vide singulare exemplum fraternæ charitatis) cum assurrexisset Senatus, precesque & authoritatem interposuisset: factum est; vt ij fraternæ charitati honorem haberent, & mutatis sententiis suis, Gallorum Regis fratri adstipularentur. Sic illa die concordia, Regis nostri virtute, nostro consilio, quæ sita est. Post talem consensum, postulatum est ab Archiepiscopo, vt electum de more renunciaret Regem: ad quod is paratus erat. Sed quia ea die sol vergebat ad occasum: ne quid ea res mali ominis haberet, petentibus aliis, renunciatio in diem perendinum dilata est. Actum est id pridie Pentecostes: intercesserunt dies sacri Pentecostes, quibus tuba Euangelii per vniuersum mundum intonuit. Stuporis sanè & admirationis res plena est. Quis enim vnquam audiuit vel legit, prorogari, nō solum in dies aliquot; sed in horam consensum electionis, cum vnum punctum & momentum temporis magnam conuersionem animorum afferre soleat? Sed voluit Deus Opt: Max: prædestinationis suæ immutabilem voluntatem hac constantia voluntatis nostræ clarescere. Die Lunæ sequenti nihil de voluntate & ardore animi imminutum: quamobrem, nulla interposita mora, cum de aliis inter nos non conueniret, de Henrico in Regem renunciando nihil controuersia erat. Itaque R<sup>mus</sup> D. Archiepiscopus & electo Regi & Reipub. toti que Christiano orbi fausta præfatus, Henricum Andium Ducem solenni ritu Regem renunciauit. Quam renunciationem, quæ & quales acclamationes, egregiæ voluntatis significatrices, subsecutæ sint, res est ita nota, vt non indigeat longiori sermone. Totus ille campus resonabat gratiarum actionibus, clangore & sonitu tubarum, omnes priuatim

uatim & publicè, domi & foris vehementer lætati, fausta & felicia Regi suo ex animo precabamur. Eadem die acciti sunt Gallici Oratores, ad tractandum de conditionibus oblati: quæ licet luculentæ esse viderentur: non tamen tantæ, vt prius de iis verbum faceremus; quàm in personam Regis conuentum fuisset. Ex quo apparet, nostros in Rege eligendo non spectasse commoda, quæ offeruntur; sed solam virtutem: non quid daret aut secum afferret, sed qualis Princeps futurus esset. Conuentum de conditionibus. Die demum quarto, de more & consuetudine, Marschalci Regni, renunciatum in consilio à Primatè, de omnium sententia Regem publicarunt, cum promulgatione edictorum per vniuersum Regnum. Quantum iterum ea die lætati sumus: quantas Deo patri omnium misericordiarum, & publicè, magnoque ad templum concursu, & priuatim per omnes domos gratias egimus: omnes norunt qui adfuerunt. Decebat nimirum, vt vltima primis responderent; vt hoc negocium desineret in gratiarum actione, cum initiu coepisset ab inuocatione Spiritus sancti. Flere magis libet præ gaudio, quàm dicere; cogitanti mihi de ardenti deuotione nostrorum. Multi Senatorii & Equestris ordinis viri, antiquo more, sacramento corporis & sanguinis Domini se procurarunt: multi condonatis offensionibus & iniuriis suis Reipublicæ, in gratiam redierunt. Hic ego R<sup>m</sup> P. vestræ mirabilem & inusitaram, ac planè diuinam electionis huius rationem, quantum verbis consequi poterò, ostendam. Si Deus specie visibili in terras delatus, ab hominibus dignè excipiendus esset, rem necessariam omnes iudicarent, vt præpararentur animi hominū ad pietatem, reconciliarentur inter se dissidentes, pax priuatim & publicè conleretur,

leretur, sacerdos & omnis clerus oraret, turba infantum ac multitudinis ieiuniis se affligeret, Duces populi & reliqui sacramentis se procurarent: quo castis mentibus, vestiti charitatis luce, iustitiæ margaritis ornati, nitidi honestate, Deum dignè exciperent. Simili certè ratione & studio ad electionem Regis à nobis processum est: hac mira varietate virtutum repurgati ad eligendum Regem accessimus: vasa nostra sordibus vitiorum exhaustimus: offensas mutuas & odia deposuimus: sacrificia contriti & humiliati cordis obtulimus. Non iudicauimus nos idoneos; vt ipsi ex nobis faceremus electionem: eoq; cupiebamus aliquo signo doceri de voluntate Dei, qui summa hæc dirigit, qui nouit omnia vtiliter dispensare: à quo solo proficiscitur omne donum optimum, & omne datum perfectum. Exaudiuit Dominus preces nostras, & voluntatem suam nobis declarauit; primùm, excitando foris famam nominis Electi nostri; deinde amorem illius in nobis inflammando. Vide miraculum. Qua hora de eligendo Rege agi coeptum est: eo ipso temporis puncto & momento, tot nationes, lingua, moribus, & locis inter se disiunctissimæ, in vnus personam voluntates suas contulerunt. Quid? poteratne diuinæ voluntatis certius edi testimonium; quam quòd vno & eodem tempore corda & voluntates hominum in vnum conuerteret? Non erat hæc res humani consilii, sed Dei opus: ad cuius nutum & mandatum repente ex nihilo substiterunt excelsa coelorum, profunda fluctuum, vasta terrarum.

Libeat ex his intueri diuinæ benignitatis erga nos clementiam. Duo mala maximè omnium post mortem Regis metuebamus, bella ab hostibus, ac motus domesticos inter ciues. Corrupta enim morum & artis militaris disciplina

plina, contumacia & dedignatio parendi in eorum locum  
 successerat. Sustulerant ergo tum animos hostes: nec iam  
 nobiscum de sua libertate; sed de nostra seruitute certabāt.  
 At nunc melius quàm sperabamus, gratia Dei, omnia eue-  
 nisse videmus. Rediit terror & metus hostibus; obedientia,  
 obsequium nostris. Moschus se tenet: Valachus pacem pe-  
 tit: Turca nusquam alias legationem magis arcticam cum  
 delatione auxiliorum, quàm nunc, misit. Quid mirer ma-  
 gis? prudentiamné, fidem, curam, diligentiam Senatus:  
 an verò obsequium & moderationem Equestris ordinis?  
 Statim enim audita morte Principis, quasi conspiratione  
 facta, Conuentibus actis in Palatinatibus quiq; suis, confi-  
 tutis extraordinariis iudiciis, vt ne qua vis aut cedes fieret,  
 pacem domesticam firmarunt: & finibus Regni milite sti-  
 pendiaro, qui arte militari & viribus polleret, prospexe-  
 runt: quorum pleriq; amore patriæ voluntariè militarunt:  
 alii verò qui ingenio & consilio præstarent, ad Comitia Re-  
 gni profecti sunt: quorum tanta reuerentia erga Senatum  
 enituit, vt in eligendo Rege nullum consilium separatim,  
 nec per submissas aliquas personas agerent, sed communia  
 consilia haberent. Adde, quòd ad electionem procedere  
 noluerint, nisi declarante id ex Senatus sententia Archie-  
 piscopo, tanquam Primate Regni, cui propriè competit,  
 consilii ordinem & processum electionis proponere. Con-  
 stabat Marschalcis suum officium. Nam præter ius rogan-  
 di sententias, mandante Senatu, distribuebant hospitia, &  
 pacis publicæ custodes erant. Quæ quidem ita sanctè ab o-  
 mnibus culta est, vt ante & post edictum de mandato Se-  
 natus promulgatum, nulla cædes, nullum iurgium com-  
 missum esse diceretur. Libet hîc commemorare *insigne*  
 factum



factum duorum Equitum, qui antiquas inter se inimicitias gerebant: cum alter alterum in campo patenti cōspexisset, paucis id animaduertentibus, strictis gladiis ad se concurrerunt. Et cum iam manus conferturi essent, substitit vterq; tali sermone ad se vsi: Nisi me reuocasset temporis huius ratio, & amor pacis publicæ, ferrum inter me & te finem inimicitiarum hac hora fecisset. His dictis, vterque, nullo accepto vel inflictō vulnere, recessit. Videt R<sup>ma</sup> P. vestra in ipso calore iracundiæ magnam moderationem animorum. Constabat etiam in eo actu cuique sua libertas. nam vniuscuiusque nomen & suffragium in scripturam redigebatur: vt nec Candidatus fraudaretur suffragio, nec is qui suffragium ferebat, inani libertatis nomine gauderet. Neque verò quisquam satis dignè laudare potest; quòd in territoriiis & Palatinatibus iuncti fuerint Equestri ordini Senatores: quibus hæc prouincia iniuncta erat; vt in suo quisque territorio siue Palatinatu omnes rationes honestatis & commodorū, ad informandos aliorum animos, exponeret, sententiasque conciliaret. Viderat enim prudentissimus Senatus; nulla ratione facilius posse conciliari diuersitatem & contrarietatem sententiarum, quàm prudentia & autoritate Senatorum, qui meliùs cognitās habent rationes status Reipub. necessitatis, periculorum, & commodorum: In populari statu Reipub. ira demum à vulgo ritè mandari Magistratus & officia, cum iunioribus intersunt Seniores, quorum illi reguntur consilio. Ac mea quidem sententia hoc consilium Reipub. nostræ salutem peperit. Cui autem verius competit directio siue moderatio omnium actionum tempore interregni, quàm Senatui? dico vnito. Neesse est enim

enim ad hoc, vt sit ordinata multitudo, vnum aliquem emi-  
 nere. Sed quis potius emineat; quàm is, qui ætate, consilio,  
 prudentia, loco, & dignitate cæteros vincit? Natura hoc  
 ita fert & constitutio Reipub. nostræ. Constat enim Rege,  
 Senatu, & Equestri ordine. Et alia quidem officia sunt Se-  
 natorum, viuentibus Regibus, alia Equestris ordinis. Sanè  
 mortuo Rege, tribunalia & iudicia, quæ nomine Regis vi-  
 gorem obtinent, cessant & silent: autoritas, Senatoria,  
 si vnquam; certè eo tempore difficili ac periculoso in re-  
 præsentanda salute, & in dandis sanis & salubribus consiliis  
 elucescere, & pro ratione iurisiurandi præ cæteris eminere  
 debet. Sanè tam R<sup>mi</sup> Primatis, quàm Senatorum Regni  
 tanta vigilantia emicuit; vt septimo post mortem Regis  
 die, triginta plus minus Senatores, Louicium, veteri more,  
 conuenirent, ad consultandum de Republica; alii vltro, alii  
 literis inuitati. Cernit R<sup>ma</sup> P. V. corpus Reipub. nostræ, ca-  
 pite quidem, hoc est, Rege carens; viuum tamen, non mor-  
 tuū. Videt, quomodo in salute Reipub. tuenda omnia mē-  
 bra conueniunt: suum quodquæ negotium agit: non se in  
 alterius officium ingerit. Miles à finibus hostem arcet: Of-  
 ficiales siue Magistratus Regni, mandante Senatu, officia  
 obeunt: Senatus lancem, libram, & regulam agendorum  
 tenet: Primas Regni omnes actiones è sententia Sena-  
 tus moderatur & dirigit: reliqui parent. Ex quibus omni-  
 bus superius commemoratis, manifestissimè constat; quòd  
 nos eum Regem elegimus suo loco, suo tempore, ad nor-  
 mam & præscriptum omnium ordinum Regni, summo iu-  
 dicio, non tumultuariè: elegimus sine vlla difficultate, non  
 inuiti, nec coacti, non pauci; sed vniuersi, non vnus status;  
 sed omnium ordinum consensu, non necessitate; sed vo-  
 lunta-

luntariè, sine fraude & dolo. Dolus enim & fraus cum timore Domini, fictio cum veritate & charitate, temeritas cum consilio, non commiscetur. Elegimus ex abundantia amoris, cum summa hilaritate; instinctu, vt credere par est, Spiritus sancti.

Fuerit sanè quispiam detractor actionum Spiritus sancti, & diuinæ voluntati non obtemperans, honoris Regij atq; laudis nostræ inuidus, qui dicat rem fuisse instructā. Quamuis & recens memoria facti, & hæc tota ratio eligendi Regis, apertam calumniam facilè refutat: tamen augeamus suspicionem, vt diligens inquisitio adhibeatur: excutiamus recessus & latebras animorum. Quæram ex eo; à nostris, an ab extraneis res instructa est? Si ab extraneis, quomodo verisimile est, quenquam tot nationes, spacio terrarum disiunctissimas, linguis & moribus inter se dissidentes, non solum obire, sed etiam ad voluntatem suam pertrahere potuisse? Sin à nostris, absit, vt hoc de fratribus credamus. Nonnulli extranei homines, cursibus suis ac literis scriptis leuiusculos rumores & suspensiones inter nos sparserant: Deus bone, quàm acriter inquisitum est in scripta, facta & dicta hominum? Graue erat, acerbum, & oculis non ferendum spectaculum, cum in confesso & conspectu vniuersorum, viri nobiles & optimè de Repub. meriti, nullo teste, nullo argumento, nullo iudice, alieno loco & tempore, ex sola suspitione in crimen vocarentur. Nec tamen inquisitiones & vexationes huiusmodi, quas nostri Rug appellant, fructu suo caruerunt. Nam cum non modò nullum crimen, sed nec suspicio quidem in aliquo ex his hæssisset: factum est, vt aliud de alio benè sentiret & consideret. Ac mea quidem sententia, si quis diligentius rem inspexerit: reperiet, nihil plus momenti

menti ad expediendū hoc negotium attulisse, quā quòd mitigatis affectibus, refecatis suspitionibus, vacui præiudicatis, sine dolo & fraude, purè, cum timore Domini, ad eum actum accessimus: ac veluti turbata aqua oculus nihil videre; postquam lutum resederit, omnia penetrare potest: ita nos summotis suspitionibus, veritatem tanquam lucem aspeximus.

Hæc est vera & simplex rei gestæ narratio: hæc consiliorum ratio. Hic actus, mea quidem sententia, æterna memoria dignissimus est; quo nihil illustrius, nihil utilius, nihil pulchrius & perfectius esse potest. Nihil in eo abfuit, quod adesse debuit; nihil adfuit, quod abesse debuit. Abfuit metus, & quælibet vis: abfuit confusio, abfuit dolus & fraus: adfuit libertas suffragiorum: adfuit deliberatio & iudicium rectum: adfuit ardens studium & summa concordia: adfuit pietas & deuotio.

Magnum nos certè fructum, cum incredibili gaudio, in theatro totius orbis coepimus libertatis nostræ; cum eum optimum ex optimis Christiani orbis Principibus Regem & moderatorem Reipub. nostræ elegimus. Aliis populis Reges edit successio, casus, fortuna, fors: nobis eum consilium sanum, iudicium rectum, libera voluntas, & chara unitas, opus verè Spiritus sancti, electam gemmam totius Christiani orbis (pace aliorum dixerim) edidit. Non hæc sanguinis coniunctio, non vicinitas, non foedera, non officiorum ratio valuit. Non quæsiuimus etiam Regem domi, & in gremio gentis nationisq̃ nostræ: hic nobis optimum & coniunctissimus, qui optimus, & Reipub. nostræ præ cæteris utilissimus esse videbatur. Quod Henrico Andriū Duci meritò contigit. Quis enim eo est splendore familiæ clari-

or, no-

or, nobilitate virtutum præstantior, vsu & experientia rerū exercitator? Quis maiora ætate sua magnarū virtutum edidit specimina? Regnum Gallie, vicaria potestate Christianissimi Regis Galliarum fratris, felicissimè administravit: rebelles fortissimè pugnans vicit: pacem publicam constabiliuit: disciplinam rei militaris restituit. In quo modestia, iusticia, pietas, & omnis chorus virtutum sedem & domicilium fixisse, perhibetur. Cumq; habeamus hos sponsores, & fideiussores, atq; adeò pignora: speramus, diuina freti benignitate, benè coepta ad optatum exitum deductum; & omnia nostra atque illius consilia actionesq; coelitus gubernatum iri. Nihil iam restare videtur, nisi vt Deus Opt: saluum & incolumem ad nos deducat. Ego certè pro aduentu illius, quemadmodum ipse orare non desisto; ita clerus per Diocoësim meam, iuxta formulam à Paternitate V. R<sup>ma</sup> conscriptam, continuè orat: & confido in Domino, eum fore Ducem itineris, qui author fuit honoris.

Hæc prolixius, quàm institueram, P<sup>ri</sup> V. R<sup>mx</sup> scripsi: & eadem fortassè molestus fui; quòd cum P<sup>rem</sup> V. R<sup>mam</sup> patriæ ac Reipub. cognouerim amantissimam, nota eidem omnia consilia nostra esse volui: vt à me haberet veritatem historia. Ego enim omnibus his interfui: & statim post mortem Regis ad R<sup>mm</sup> D. Archiepiscopum Primatem Regni, tanquam ad moderatorem harum actionum accurri, eumq; præfens consilio & operam iuui. Maioremq; in modum R<sup>mam</sup> P. vestram rogo, vt in eo actu posteris trasmittendo elaborandum sibi omninò putet. Quo nomine nos omnes, tota Polonia, & posteritas R<sup>mx</sup> P. V. plurimum debere profitebimur. Datum Wladislauia 21. Septembris,

1573.

F 3

EIVS.

EIVSDEM

ILL<sup>MI</sup> ACR<sup>MI</sup> DOMINI  
D. STANISLAI KARNKOVSKI

Archiepiscopi Gnesnensis, &amp;c.

PANEGRICVS.

AD HENRICVM VALESIVM POLONIAE  
REGEM DES. *Adest in Cronica Poloniae**edit. Col. de 1789. pag. 694*

I aut res ipsa id desideraret, aut verò per rationes Regni publicas licitum nobis id fuisset, Serenissime Rex: profectò nihil libentius hoc tempore fecisset, tum Senatus ipse amplissimus, tum Equester ordo vniuersus, quàm, vt frequentes admodum hunc in locum, honoris tui gratulationisq̃ue causa, confluerent: lætitiã, quam ex hoc felici tuo ad se aduentu capiunt, præsentem pro se quisque testarentur. Verùm quoniam & rei quidem ipsi aliter satisfieri posse videbatur, & præsens status temporum Reipub. nostræ, tantum concursus in hoc loco, quantus ex omnium ordinum hominumq̃ue conuentu futurus erat, non ferebat: idcirco nos vice omnium ablegati sumus, qui his partibus apud te pro omnibus defungeremur. Quod sanè, pro eo ac debemus, facimus: reque Regem à nobis prius expetitum, mox electum, nunc verò tandem ad nos felicibus auspiciis aduentantem; omnium nomine, summa cum veneratione excipimus, & exceptu optimis

optimis omnibus omnibus prosequimur, aduentumque  
 hunc tuum verè & ex animo, cum tibi, tum Reipub. gratu-  
 lamur. At quanta quæso alacritate animorum? Equidem  
 si nos spectas, quos coram intueris; tanta alacritate, quan-  
 tam maximam capere animi nostri possunt: sin eos, a qui-  
 bus tibi obuiam prodire iussi sumus; profectò, nulla est tan-  
 ta dicendi copia, quæ incredibilia illorum erga te studia  
 verbis consequi; nulla tantà ingenij vbertas, quæ immen-  
 sam illam lætitiæ vim, quam ex omnibus tuis rebus bonis  
 capiunt, satis comprehendere posse videatur. In quo cam-  
 pum me herculè illum Varfauientem, qui electioni tuæ di-  
 catus fuit & consecratus, appellamus: qui quidem donec  
 præterlabentis Viſtulæ fluctibus alluetur, testis erit locuple-  
 tissimus egregiæ nostræ erga te familiamque tuam regiam  
 voluntatis. Appellamus etiam in eo, cum vniuersum illud  
 electionis tempus, quod consiliorum actionumque nostra-  
 rum ad tuam gloriam destinatarum fuit conscium; tum ve-  
 rò in primis faustam illam, & in omnem posteritatem Gal-  
 lici Polonicique nominis memorandam diem; qua te, con-  
 cordibus admodum omnium non solum ordinum, sed eti-  
 am hominum suffragiis, Regem nostrum renunciauimus:  
 quæ quidem dies, testis est, eritque in perpetuum, nostræ  
 non modò de tua virtute, industria, sapientia, felicitate,  
 præclarissimæ opinionis; verum etiam, de rebus tuis prospe-  
 ris & ad voluntatem fluentibus, singularis gratulationis. Et  
 enim, cum primùm in ipso electionis nostræ initio, sanctum  
 Dei Spiritum solenni hymno supplices de more venerati  
 essemus: vidisses confestim; alios præ gaudio, & iam tum er-  
 ga te studio singulari, lachrymas fundere, ac pro te Deo  
 Opt: Max: vota nuncupare; alios hastas suas lilijs tuis

candentibus insignire: audisses verò deinde alios, extra suffragia, suis vocibus tuum nomen assiduè ingeminantes: alios autem in media ferendorum suffragiorum religione, ita nomini deuotos & addictos tuo, vt, nisi tu Rex noster eligereris, actum esse propemodum putarent de Repub. ipsa vniuersa. Quid dicam te Rege electo & renunciato? Muta medius fidius ipsa & inanima, campi, sylvar, præta, nemora, agri, fluuii, ripæ, laudes tuas, permisto tum hominū applausu, tum auium concentu, tum equorum hinnitu, personare quodammodo videbantur. Atq; hæc quidē, etiam tum absente te, & Rupellana obsidione ita in Gallia occupato, vt in illo strepitu armorum, vix Poloniæ nostræ meminisse posses, apud nos sic fiebāt: quid nūc censes, cum te, opem, salutem, præsidium, &, vt vno verbo dicam, Regem nostrū, saluum & incolumem, ad regnum tibi diuinitus decretū, & à nobis delatum aduenisse, cæteri passim omnes audiūt; nos verò, quos hic publico nomine coram adesse vides, etiam præsentem intuemur. Equidem vt gustum iam nūc aliquem habere possis eius lætitiæ, qua omnes Regni Ordines, sacri, prophani, summi, medii, infimi, ex aduentu isto tuo prospero & salutari perfunduntur: recensebo tibi breuiter totius electionis nostræ rationem. Sic enim te ipsum, & paulò antè diuinitus, ad inclyti huius Regni gubernacula, summa nostra voluntate electum ac vocatum esse intelliges: & nunc aduentantem, singulari cum studio excipi à nobis, & regno initiari perspicias & cognosces.

Ac mihi quidem tribus potissimū temporibus eluxisse videntur in hac electione singularia, tum Dei Opt. Max. de te iudicia, tum gentis quoq. ac nationis nostræ erga te studia. Nam & renunciationem ipsam electionis, antecesserunt



runt nonnulla eiusmodi, quæ iam tum nostrorum hominū erga te studia non obscure præferre videbantur: & deinde, tam in renunciatione ipsa electionis, quam post renunciationem etiam ipsam, ea consecuta sunt, quæ maximo tibi argumento esse debeant ardentissimæ nostræ erga te voluntatis. Quæ tu sanè hoc loco, dum breuiter cognoscis: debbis profectò, & honorem quidem Domino Deo debitum tribuere, & nos quoque, ex eiusmodi nostro merito, pro singulari tua humanitate, adamare.

Nam cum Respublica nostra tribus maximè hominum ordinibus contineatur; Regia potestate, quæ imperat; Equestri ordine, qui paret; & Senatorio, inter hos interiecto, qui consulit: profectò, exempto ex rebus humanis Rege Sigismundo Augusto, ita vt nullus tum alius nobis superesset Rex, siue natura factus, quod est prorsus à legibus & moribus nostris alienum, siue electione nostra designatus: constabat in vniuersum, omnem regendæ & administrandæ Reipub. rationem, ad Senatum & ad Patres necessariò reddiisse: vtpotè quorum ætas, dignitas, conditio, alteriùs illius in Reipub. alioqui honestissimi ordinis ætatem, dignitatem, conditionem, sine dubio antecellat. Cumque adeò inter Patres ipsos, magna quædam & præcipua excellentia ac præstantia singularis, Archiepiscopis Gnesnensib. legibus ac moribus Regni nostri sit attributa: qui & Rege ipso viuo primas partes secundum eum in Regno obtinent, & eo vita functo, omnia publica consilia moderantur more maiorum: hoc quidem in omnes partes tutius, quòd, cum inter Ecclesiasticos homines, quibus persona Regia rectè imponi non potest, censeantur; à suspitione Regni affectati prorsus sint remoti. Inde factum est, vt redacta sanè Re-

pub. Rege mortuo in Senatus potestatem, vt diximus, confestim data sit à nobis opera; vt cōuentus Senatorum, cūm alibi, tum Louicii in primis, septimo ferè post Regis obitum die, & deinde aliquanto post Varfauia, per nos haberentur. Quibus quidem vtrisque in conuentibus, cūm Archiepiscopus ipse non solum interesset; verum etiam, vt oportuit, præesset, prouisum est diligenter, præter cætera, quæ ad futuri Regis electionem pertinebant; vt modus quoque & ratio inuestigaretur, atque etiam de sententia omnium præscriberetur, tum Regni finium militum firmamentorum, tum iudiciorum denique domi constituendorum per tempus interregni. Vt ita duo firmamenta duobus illis malis opponerentur, quæ tum temporis Regno ipsi maximè impendere, & maximum periculum creare posse videbantur. Nam & mores profectò ipsi impunitate superiorum temporum corrupti, licentiam magnam in populo generauerant, quæ necessariò videbatur esse rigore iudiciorum astringenda: & desuetudo præterea rei militaris in animis nostris, quos non mediocriter otio illo diuturno elanguisse, hostes ipsi persuasum habebant, facile, per hanc occasionem Regis mortui, incursiones eorum in hoc Regnū potuit excitare: quæ sanè, nisi terrore armorum & præsidiorum nostrorum opposito, rectè reprimi non potuerunt. Itaque duabus his rebus perfecimus, Rex, vt per totum hoc interregni tempus, quod fuit, vt scis, plusquam annum, regnum ipsum primò integrum, nec quicquam ex eo statum, in quo à moriente Rege relictum fuit, per hostes externos diminutum; deinde verò nullis nouis difficultatibus domesticis implicatum, per Dei gratiam, cōseruauerimus. Quæ res si fortè olim non vsq; adeò ad te pertinuit, cūm tu necdum

necdū Rex noster creatus esses, nec inter competitores Re-  
 gni nostri solus numerarere: nunc planè diuinitus tota ces-  
 sit in beneficium tuum: cū Regnum ipsum, per Dei gra-  
 tiam, inis incolume, & nullis recens excitatis difficultati-  
 bus impeditum. Sed quid postea factum est? Dicam, vt  
 iam propiūs res ipsas tuas contemplari incipias. Quæ enim  
 hæcenus dicta sunt, ea magis ad constituendas interregni  
 rationes, ante noui Regis electionem; quàm ad electionem  
 ipsam videntur pertinuisse. Cæterum constituto iam ex  
 S. C. die & loco eiusmodi electionis, constituto autem ad  
 Varauiam in campo Camionensi, ad diem Aprilis quin-  
 tam, conuentum est magno Senatorum & infinito Equi-  
 tum numero: qui quidem conuentus eiusmodi, omnium  
 intuentium oculis, delectus cuiuspiam frequentissimi, vel  
 potiūs centuriatorum Romanorum comitiorum speciem  
 repræsentare videbatur. Vbi exauditis ante omnia, in ma-  
 ximo tabernaculo, quod de industria communibus omni-  
 um Palatinatum negotiis militariter positum ac præpara-  
 tum fuit, externis legationibus, quæ sanè nec pauca nume-  
 ro, nec dignitate mediocres erant: à plerisq; enim summis  
 orbis terrarum Principibus & Monarchis missæ & ablegate  
 fuerunt: posteaquam à Nobilitate ad electionem concla-  
 matum, & ab Archiepiscopo Gnesnensi, qui semper habi-  
 tus est Princeps & os Senatus, decretum ac pronunciatum  
 esset, vt in singulorum Palatinatum tentoria, quæ maxi-  
 mo illi tabernaculo vicina, circumcirca fixa fortè ac locata  
 erant, veluti in tribus quædam & classes discederetur: tum  
 repetitis summatim capitibus singularum legationum ex-  
 ternarum in singulis Palatinatibus, propter eos, qui expo-  
 nendis illis aut adesse ipsi tam frequenti numero, aut verò,

etiam cum adessent, exaudire fortè eas non potuerunt: & repetitis quidem per Senatores ipsos, ac eos prætereà, quos Nobilitas ipsa ex se, ad exaudiendas & sibi referendas legationes eiusmodi, iam antea designarat, itum est in suffragia. In quibus ferendis (libenter enim ea persequimur, quæ ad demonstrandam singularem istius electionis nostræ cautionem videntur pertinere) ea moderatione vsi sumus; vt neq; quisquam nostrum suffragio excludi, neq; idem ex aduerso libertate sua abuti videretur. Dixit enim qui voluit, & quod voluit, & quandiu voluit: Senatoribus tamen præeuntibus, & varietatem sententiarum conciliantibus, & Candidatorum numerum ad minimum, quoad eius fieri potuit, redigentibus, & deniq; nomina tum Candidatorum suffragatorum in scriptum referentibus, & sigillis prætereà cuiusque obsignantibus: sic tamen, vt mutandæ suæ cuique sententiæ potestas ad extremum remaneret. Quid tum postea? O singularem & planè diuinam sortem tuam. Referuntur tabellæ suffragiorum scriptæ & obsignatæ, in maximum illud tabernaculum, & in conspectum Senatus vniuersi. Leguntur & recitantur nomina tam Candidatorum, quam suffragatorum. Ecce autem primam honoris tui prærogatiuam.

Vincis enim, Henrice, iam tum quoque, & superas suffragiorum numero competitores omnes: & vincis quidem sic, vt, si numero soli standum esset, tu reliquos omnes, illo iam ipso tempore, longo post te interuallo relinqueres, & ipse sine mora Rex euaderes. Verùm id quoq; ad maiorem laudis & gloriæ tuæ materiam ac segetem, aliquantisper dilatum fuit. Nam cum Deo in primis Optimo & Max: qui tui capitis tuique honoris singularem curam gerit, deinde nobis;

nobis etiam ipsis, qui te Regem habituri eramus, parum visum esset; te numero solo suffragiorum Regem designari, nisi etiam ponderibus ipsis & momentis suffragiorum à nobis designarere: inita est altera quoque Regis eligendi ratio, à moribus planè aliarum cum veterum tum recentium bene ordinarum Rerum pub. minimè aliena; ut nimirum sui cuique Candidato, veluti patroni & aduocati, ex Senatoribus constituere àtur, viri non magis authoritate, quam prudentia & eloquentia insignes, qui causam Candidati cuiusque ita cum omni verborum honore tuerentur, ut acerbitati quidem verborum in alienum Candidatū parceretur; momenta autem honestatis, vtilitatis, & aliarum rerum ac rationum omnium, quæ in hominum deliberationibus versari consueuerunt, diligentissimè excuterentur. Ut ad eum iam modum, non tam fauor cum fauore, aut studium cum studio; quam res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione, argumentum cum argumento, ex propinquo confligere videretur. Seuerum & graue disceptandi genus: addo etiam fortassis rigidum: sed quò rigidius, hoc & nostris sanè rebus conducibilius, & tibi, Rex, qui hoc etià contentionis genere superior, Deo fauente, euasisti, honorificentius. Quid enim factum est? Principiò, nostratium plerique, viri & claritate familiarum præstantes, & meritis in Rempub. insignes, qui inter competitores, fauore nonnullorum ex Equestri ordine, erant nominati, vltro se eo fauore abdicarunt: vel quò iam tunc tibi ac dignitati tuæ excellenti, volentes concederent: vel quò omninò videri nollent, suo se siue iussu, siue conatu, siue adeò voluntate, inter competitores Regiæ dignitatis fuisse nominatos. Deinde illorum quoque magna pars, qui aliis Candidatis (vti accidere necesse fuit,

se fuit, in tam ampla & libera Repub.) studere non obscure  
 videbantur, exaudita illa ac perpensa conflictione rationū,  
 non inuiti de priore sententia sua decesserunt, & in te suf-  
 fragia contulerunt. Ita, cū cæteri quidem sententias suas  
 defererent; tui autem suffragatores in sententia permane-  
 rent: factum est, vt sicut prius numero; ita tunc pondere  
 quoq; suffragiorum, reliquos omnes competiores antei-  
 res, & re ipsa Rex iam propemodum fieres. Restabant e-  
 nim pauci partium contrariarum: quibus cū odiosa illa  
 ac permolesta causarum conflictione iterū pugnare, cū  
 ex mutuo amore esse non videretur, neque suadendo quic-  
 quam amplius proficeretur, gratia & rogando in partes tu-  
 as sunt pertracti. Dederunt enim hoc precibus & authori-  
 tati Senatus, qui id ab eis assurgens postulauit: dederunt  
 modestiæ suæ: dederunt denique communi concordia; vt  
 in te non inuiti quoque ipsi consentirent. Ita iam ex eo tē-  
 pore Rex noster electus & designatus es: & Regnum, quod  
 antea, partim dispositis per confinia præfidiis integrum,  
 partim constitutis per Palatinatus iudiciis expeditum con-  
 seruabatur, in incertum tum adhuc quidem, quem regna-  
 re velit heri, quem uē ferat fors, id tibi deinde potissimum  
 decretum à nobis, & quasi diuinitus adiudicatum est, sum-  
 ma cum nostri erga te amoris, summa etiam cum diuinæ  
 benevolentia; testificatione. Quid enim siue à nobis, siue à  
 Deo etiam ipso immortalī, in hac mortali vita tua illustrius  
 ad tuam laudem excogitari potuit; quàm te vnum, ex tot  
 gratiosissimis ac potētissimis competitoribus, tanta varie-  
 tate & copia suffragiorum, bis, concorditer, non ab vna ali-  
 qua prouinciarum, sed ab omnibus prouinciis, nec à pro-  
 uinciis tantum; verum etiam à singulis propemodum ho-  
 minibus

minibus (quæ res non tantum effectu est admirabilis, sed etiam ratione ipsa) tanti & tam latè patentis Regni dominam, ac Regem denique nostrum esse designatum? Quæ cum ita se habeant: eritné adhuc obsecro quispiam, qui ea, quæ in hac tam exquisita electionis ratione, tam accuratè & tam diligenter gesta sunt, aut ad temeritatem fortunæ referat; aut, quod etiam multò faciat impudentius, vel fraudi alicui occultæ, vel deniq; apertæ ipsi vi tribuenda existimet? Quid habet, quæso, fortuna commune cum suffragio libero? quid rei est temeritati cum ratione? quid fraudi cum consilio? quid vi cum precibus? Quod si quid etiam esset: agè, referat mihi saltem quisq; oculos paulisper ad illas tû nostras inter nos acres admodum & nimium seueras in hoc genere inquisitiones. Deus bone, quid prætermissum est ad inuestigandas, si quæ essent, latebras talium consiliorû? quid in iis non quæsitum? quid non productum in mediû? quid non excussum ab omnibus? quid non ad fastidiû vsq; examinatum & expensum est? & tamen nihil repertum est eiusmodi, quod non modò rem, sed suspicionem saltem aliquam verisimilem venditi cuiquam, aut promissi, aut etiam vi expressi suffragii habere videretur. Atque hæc sunt quidem primi temporis, nostræ erga te obseruantia, & diuinæ denique benevolentia non obscura argumenta.

Sequitur tempus alterum, in quo singularia nostra erga te studia, & multo etiam magis diuina ipsa beneficia eluxerunt. Est autem tempus renunciationis ipsius: quam ego sanè breuiter sic exponã. Electio & designatio tua, de qua modò loquuti sumus, in diem eam incidit, quæ fuit pridie Pentecostes, diei sollemnissimæ, & apud Christianos omnes religiosissimæ. Incidit autem in tempus vespertinum. Nihil ve-

hil vetabat amplius, quo minus iam ita non modò electus  
 ac designatus; sed etiã omnibus rationibus euictus, & ab  
 reliquis omnibus competitoribus solus defensus ac vindica-  
 tus, Rex euestigiò promulgarere & renunciare: & certè,  
 vt id ita fieret, multa simul non solùm desiderare, sed etiã  
 poscere ac contendere videbantur. Quid igitur obstitit,  
 quominus fieret? Num tribuum fortasse fauore repente cõ-  
 mutatus? Minimè. Fremebant enim vno ore omnes, & re-  
 nunciationem tui summa cum contentione flagitabant.  
 Num igitur aduersariorum competitorum potentia? Ne-  
 quaquam. Hi enim aut nulli iam tum fuerant, aut omnem  
 profectò contentionem abiecerant. Num igitur Archie-  
 piscopi Primatis, cuius illud renunciandi munus fuit pro-  
 prium atq; legitimum, aut alienus, aut alioqui minus prom-  
 ptus animus? Ne id quidem. Is enim non modò ad pro-  
 mulgandum & renunciandum ex officio suo, sed etiã ex  
 singulari studio, ad refutandum, si quis fortè moram affer-  
 ret, paratum se esse ostendebat. Quid igitur? Equidem ni-  
 hil planè eiusmodi, quod iusta aliqua ex causa rem impedi-  
 re potuisse videretur: illud potius, quod non solùm impedi-  
 re aut morari nõ debebat; sed etiã, quod maximè mirum  
 est, tantò magis vrgerem & accelerare debebat; Solis oc-  
 casus & serum ipsum diei: cùm videlicet homines non so-  
 lùm publica, sed etiã priuata sua; nec solùm iam facta &  
 finita, verùm etiã inchoata & imperfecta, ad exitum tan-  
 to celeriore student deducere. Sed nimirum ominis ne-  
 scio cuius leuissimi metus ob oculos versabatur hominibus  
 tui studiosis: ne esset deinde, qui te, vt est his nostris tem-  
 poribus admodum dicax seculum, ex caligine & tenebris  
 erutum, & obscurum nescio quem, in hanc lucem regni su-  
 bitò



bitò protractum Regem esse conuiciari possit. Res igitur dilata est in diem perendinum. Si aut exemplum quæras, aut rem ad rationem reuoces, nihil alienius: sin exitum spectes, nihil admirabilius. Quæ enim ratio reperiri potest; cur certa iam res, & omnibus suis numeris absoluta & confecta, à calce denuò ad carceres reuocari, & infinitis rursus casibus, ac nouis rerum conuersionibus, fieri debuerit obnoxia? aut verò quàm multa tandem, ex omni omnium annalium memoria exempla proferas, differendæ, non dico in diem, sed vel in horam saltem eiusmodi promulgationis? ubi præsertim electio ipsa omnibus in rebus rectè atq; ordine gesta & administrata fuerit? Et tamen, quod alias non ferè solet euenire; id, cum de tuo honore ageretur, euenit; promulgatio ipsa & renunciatio electionis perfectæ tuæ, vt in diem perendinum differretur. Quid igitur? Num quis nos casus aduersus interpellauit? num quæ vel leuissima saltem conuersio remorata est diuinam siue electionem, siue adeò renunciationem tuam? Minimè id quidem. Nam cum deinde, vno post interiecto die, ad comitia intermissa rediissemus: etsi aliis quibusdam de rebus controuersia non deessent; de te tamen Rege controuersia nulla prorsus extitit. O diuinam in rebus mortalium curam, & providentiam immutabilem & æternam. O diuini & singularis fauoris erga te specimen diuinum & admirabile. O insigne testimonium ad perpetuitatem, eos qui Deo fidunt, in medijs etiam rerum motibus & concussionibus, elusum non iri. Itaque sanè nulla interposita mora, Gnesnensis Archiepiscopus iure, & prærogatiua sua, QVOD TIBIQUE, NOBISQUE, REIQUE PVBLICÆ NOSTRÆ, GALLICOQUE ET POLONICO NOMINI, TOTIQUE ADEO ORBI CHRISTIANO, BONVM, FAVSTVM, FELIXQUE SIT, præfatus

cūm esset; te Regem nostrum, verbis solennibus, de more renunciauit. Quem ipsum deinde aliquot diebus interiectis Marschalci Regni sequuti sunt: qui more & consuetudine maiorum, renunciatum per tribus publicarunt. O faustos ac felices dies illos. O lætas nostras acclamationes. O gratissimas, tū Deo immortalī, supplicationes nostras; cūm renunciatione per Archiepiscopum facta, euestigiò inde moti, magno concursu ex campo in urbem facto, templū urbis primarium certatim adiuissemus, & eidem illi præpotenti Deo, cui olim suffragia inituri sanctè ac religiosè supplicaueramus, gratias de te, tuo nomine, supplices atq; gaudio lachrymabundi egissemus. Nunc quoque, Serenissime Rex, apud te hæc mihi memoranti, vis ingens lachrymarū prorumpere ex oculis videtur, monumentum gaudij lætitiæq; nostræ, & supplicis ac gratæ nostræ erga diuinam maiestatem voluntatis. Quo quidem in loco, tu quoq; ipse, maximè vellem; vt intimis in præcordiis, conceptam gratiarum actionem tuam, reddas nobiscum Deo Opt. & immortalī: qui tibi in hoc quasi secundo actu electionis tuæ, manifestissimis indiciis, præsentē admodum sui numinis vim declarauit: & nostram quoq; singularem erga te deuotionem nutu suo approbauit, eamq; tibi in perpetuum commēdauit. Omnibus enim lætitiis profectò tū incessimus, & Henricum Regem iterum iterumq; nominari, dici, cieri, promulgari iussimus. Iuuabat vsque Henricum, iuuabat Galliam, iuuabat denique lilia iterari: & Henricum ipsum quasi oculis, Galliam auribus, lilia deniq; ipsa naribus quodammodo nostris admoueri. Cūm interea temporis accersuntur tui Oratores, ad constituendum nobiscum de propositis olim, nomine tuo, conditionibus. Vt hoc etiam tibi maximo

maximo argumento esse queat, non tam conditiones vllas, aut vlla promissa tua, tuorumue, spectata fuisse à nobis in te eligendo; quàm virtutem modò & industriam ipsam tuam, quæ sunt veræ tuæ, vnicè à nobis in te adamatæ dotes: illud, inquam, tibi maximo argumento esse debeat, cum audias; prius te & electum, & designatum, & renunciatum à nobis fuisse Regem; quàm de conditionibus ipsis electionis, designationis, renunciationis tuæ, cum tuis Oratoribus per nos transigeretur.

Restat actus velut tertius & postremus, eorum quæ hanc istam gloriosam, & ad omnem posteritatem memorandâ renunciationem tuam fuerunt consecuta. In quibus quidè recensendis, hoc erimus etiam breuiores; quòd & oratio sanè ipsa ad exitum iam properat: & res ipsæ, quas commemoraturi eramus, tibi quoque ipsi non multò minus, quàm nobis, notæ sunt & perspectæ. Etenim cum iam diutius gaudium lætitiàmque nostram, quam ex illa non magis tui quàm nostri honoris accessione capiebamus, continere quasi in animis nostris non possemus, duo euestigiò fecimus: vnum, quòdeius rei nuncium subito ad te, per literas & celeres admodum tabellarios, variis itineribus misimus: alterum, quod statim post, Oratores quoq; ipsos ac Legatos nostros, ex primoribus Senatorij & Equestris ordinis delectos, inuitandi ac postulandi tui causa, publico nomine, cum decreto electionis factæ, ex Polonia in Gallias vique ablegauimus.

Quorum vtrumq; quale fuerit, non necesse habeo apud te dicere. Nam & literæ ipsæ nostræ, quod scimus, in manus tuas peruenierunt: & Oratores quoq; nostri tecum hîc reduces comparent: iactati illi quidem, vnà cum literis,

per varios casus, per tot discrimina rerum, vt ait poëta: sed certè, & nostræ quidem erga te singularis obseruantiaë tanta vis fuit; vt nihilominus in illa variorum casuum discrimina, mittendos esse tot & tantos viros, talesq; & eiusmodi literas arbitraremur: & simul hanc nostram erga te obseruantiam, illud diuinæ gratiæ ac beneuolentiæ manifestum indicium est consecutum, vt non solum literæ ipsæ reddita tibi fuerint; sed etiam ipsum XIII. Legatorum nostrorum collegium, inter tot externas, & cum spatii inter terrarum à nobis disiunctas, tum verò lingua etiam ac moribus abhorrentes nationes, in tantis maris & terrarum interuallis, vniuersum propemodum vltro citroque saluum atq; incolume commeare, & legationem conficere, & ad nos deinde redire potuerit.

Quæ quidem, Rex, omnia cum ita sint, debes profectò, (quod toties dicimus,) tum officia studiaq; hæc nostra, tum multò etiam magis diuinas illas gratiæ & beneuolentiæ erga te significationes, gratissima vicissim tua beneuolentia profèqui: ita planè, vt & ea, quantum maximè potes, facta & tecta conserues, quæ sunt Dei immortalis, qui te sua propemodum coelitus demissa voce, ex mediis belli periculis ereptum, & ad hunc Regium honorem accersitum, suis etiam manibus, in Regio ipso solio iam iam collocabit: & rursus, vt quæ nostra sunt, ea nobis, qui singularia Dei ipsius de honore tuo decreta atque iudicia, votis etiam ac studiis nostris libentes atque volentes profècuti sumus, virtute tua conficias atque repræsentes. Et cum vna iustitia duarum res, quas dixi, vberimè contineantur: iustitiam assidue præ oculis habeas, eaque semper actiones omnes tuas, in tribuendo, tum Deo, quod Dei est; tum nobis, quod nostrum est, mo-

est, moderere. Quid est autem quod Deo debeas? illud equidem, vt arbitror; vt, cum is, vno eodemq; tempore, non magis in Gallia salutis tuæ; quàm honoris in Polonia, paternam curam gesserit: neque minus potenter ibi te à periculis defenderit, quàm hîc ad dignitatem Regiam prouerit: & ames eum tu quidem, vt patrem; & metuas, vt Dominum. Quæ vtraq; si ita coniunxeris, vt & priuatim ipse, (quod tamen enixissimè facere te audimus) castè eû & religiosè semper colueris, & publicè honorem ipsius nauiter ubiq; tutatus fueris: tum & ipsi illi abundè, quod suum est, reddideris, ac folium præterea & sedem tuam Regiam mirificè firmaueris. Nobis autem, qui secundum Deum honorem tuum honore Regio auximus, quique te nobis Regè ac Dominum præfecimus, quidnam est quod potissimum debeas? Equidem id opinor, quod nos præcipuè à te expectamus. Quid est autem quod tantopere expectemus, nisi fortè id, quod dudum etiam in te eligendo secuti fuimus? Quid est igitur quod sequuti fuimus? Num, vt Regem haberemus, longa serie atavos Reges numerantem? atqui alii etiam æquè clari non defuerunt nobis aliunde. Num, vt eum haberemus; qui accessionem nouæ alicuius ditionis Regno nostro adiungeret? atqui possessionum abundè nobis est: & earum sanè accessiones per se faciunt Regnum beatum. Num igitur, vt haberemus, qui cæteros omnes orbis Christiani Reges & Principes, vigore ætatis, formæ Principatu, diuitiarum copiis, & reliquis id genus naturæ atque fortunæ blandimentis anteiret? Multò minus: nec enim ea sunt propriè regia.

Quid igitur potissimum spectauimus? Nihil planè aliud, quàm idem illud, cuius ipsius gratia, pro salute incolumi-

tateque tua, obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, tum hucusque ad Deum, magna cum animi nostri summissione, fudimus; tum deinceps etiam, quoad vixeris, semper fundemus: ut videlicet tuis auspiciis quietam & tranquillam vitam degamus, in omni pietate & honestate: quorum altero securitas ab externis hostibus continetur, ut tranquille scilicet & sine eorum metu viuamus: altero, ut viuamus pie & honeste, securitas continetur à domesticis inimicis. Quæ duo, quò sunt difficiliora; hoc magis nobis Dux eiusmodi & author opus fuit, de quo hæc rectè sperari, & à quo etiam certò expectari posse viderentur. Non vereor, ne quis hæc tui aut excitandi, quod minimè est opus; aut multò etiam minus, quod fieri non potest, deterrendi causa, à nobis dici existimet. Quis enim aut detertere queat pectus tuum generosissimum, & ad omnes labores ac pericula pro Republica excipienda natum? aut verò excitare necesse habeat viuendam virtutem tuam, & ad omnem laudem & gloriam à natura ferè ipsa procreatam? Nihil hinc oratoriè agimus: id quod res est loquimur: & quæ tui muneris sunt, ea tibi quàm breuissimè ob oculos ponimus. Quæ ipsa tu præstabis sanè non difficulter nobis, ubi voles: hoc facilius autem nobis, quàm aliis; quòd ei genti imperaturus es, quæ Regum ac Principum suorum dicto audiens, quæque præscripto rectæ rationis & virtutis ita natura addicta est; ut huius quidem studio ipso & ardore, facile in omni officio contineatur: illorum autem reuerentia & amore, libentiùs & efficacius, quàm poenis aut imperio vllò seueriore, in omne honestum inducatur. Aderit tibi ad hæc & suscipienda, & gerenda, & perficienda, aderit, inquam, non solum corporibus, sed etiam multò magis animis,

mis, Senatus ipse, numero frequens, promptus studio, auctoritate verò ita pollens, vt propter gratiam, nomen Fratrum maiorum, propter auctoritatem verò nomen Patrū & custodum Reipublicæ, communi omnium appellatione meruerit.

Quos tu si in propria ordinis ipsorum auctoritate & gratia conseruaueris: habebis profectò, qui conatus omnes tuos pro Rep<sup>ub.</sup> salutare, studio, consiliis, conatibus deniq; suis prosequantur: vel, quoniam illi in hoc corpore Reipub. sub te capite, cordis locum obtinent, vitam proculdubio omnibus tuis in Republica honestis institutis affatim largientur. Aderit etiam non minus libenter, quàm diligenter Equester ordo ipse, qui in corpore hoc Reipub. manuum tuarum instar habet: cuius tu quidem ordinis si vires inspicias, vnicum Regni tui robur atq; firmamentum, sin splendorem & libertatem, insigne eiusdem decus & ornamentum iurè appellaueris: vtroque autem nomine thesaurum rectissimè dixeris, ac opes Regni tui incomparabiles atque inexhaustas. Et alterius sanè ordinis prudentia atque consilio nunquam à recto aberrabis: alterius studio & obedientia, domi eris amabilis, foris admirabilis: vtrorumq; autem virtute & concordia, vbiq; omnia, quæ voles, facillimè consequere. Tunè autem, quæso, adolescens, Regnum Galliæ, fraternaliter potius quam tuum, difficillimis temporibus, vnius propemodum tua virtute, ita administrare potuisti; vt tumultus ibi maximos compressisse, Regiam maiestatem vindicasse, populos illos æquo iure continuisse, disciplinam veterem reduxisse, pacem & otium desideratum regno restituisse perhibere: & dubitabis nunc iam factus maturior, ac rebus illis gerendis etiam exercitator, in tuo ipsius regno:

gno, minimè desperatis, & certè non pessimis temporibus,  
 auctore Senatu, adiutore Equestri ordine, ea te posse in a-  
 nimis Polonorum obsequentissimis, & ad omnem ductum  
 rectæ rationis admodùm morigeris, imprimere; quorum  
 vestigia admodùm illustria, in Gallorum, non solum menti-  
 bus, sed etiam vrbibus, singulari tua virtute posuisti? Equi-  
 dem, quod verè dicendum est, tum demum Gallicis illis  
 tuis rebus gestis plenam fidem conciliaueris, cum illarum  
 similitudinem in hoc quoque tuo Polonico imperio: d vi-  
 uum expresseris ac repræsentaueris. Tum demum te ratio-  
 ne potius & consilio quàm casu & fortuna, res illas gessisse  
 homines sibi persuadebunt; cum eiusdemmodi res tuas ge-  
 stas hîc apud nos intuebuntur. Tum demum nos fructum  
 electionis tuæ exoptatum consecutos esse fatebuntur; cum  
 res nostras, tua virtute, in meliorem statum esse adductas  
 non poterunt inficiari. Qua profectò in re, si & officio tuo,  
 Rex, & expectationi omnium nostrum satisfeceris: tum &  
 apud nos quidem eum tibi amorem conciliabis, vt libenti  
 animo, non solum fortunas & facultates nostras, iubente te  
 exponere; sed etiam pectora & latera nostra hostibus pro  
 te opponere, & vitam denique ac sanguinem nostrum, pro  
 vita & sanguine tuo profundere, parati futuri simus: & foris  
 præterea apud vicinas omnes & externas gentes atque na-  
 tiones, Rex eris, per Dei gratiam, clarus, honoratus, po-  
 tens, inuictus.

Atque nos ea quidem spe freti, vt te antea expetiui-  
 mus, deinde elegimus, mox renunciauimus, tum promulgau-  
 mus, denique per literas & Oratores ac Legatos nostros, ex  
 Gallia, ad hoc Regnum inuitauimus ac postulauimus: ita  
 nunc iam præsentem & intra Regni nostri fines constitu-  
 tum,



tum, omni non solum verborum honore; sed etiam animorum cultu & veneratione, iterum atque iterum salutamus; tibi que hunc primum in hoc regnum ingressum, bene atque feliciter euenire cupimus: teque adeo vti magnum quendam angelum, ad regimen & custodiam populi Dei coelitus demissum, excipimus: atque tibi iam nunc, non solum honorem Regum exhibemus; sed etiam ipsa Regni insignia Regis inaugurationis propria, promptissimis animis despondemus, omniumque ordinum & statuum studia atque officia: totumque adeo Regnum ipsum, cum omnibus eius prouinciis, ad te deferimus, & tibi etiam atque etiam commendamus: utque nos omnes, exemplo antecessorum tuorum Regum nostrorum, gratia atque beneuolentia tua prosequaris, rogamus.

*I tua Rex quò te virtus vocat, i pede fausto.*

Exaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Iacob. Mittat tibi auxilium de Sancto, & de Sion tueatur te. Intellectum tibi det, & instruat te in via qua gradieris: & firmet super te oculos suos. Teneat manum dexteram tuam: & deducat te in voluntate sua.



POSNANIAE,

M. D. XCIII.